EDICION DE LAS OBRAS COMPLETAS
DE
SANTIAGO RAMIREZ, O. P.

TOMO VI

CONSEJO SUPERIOR DE INVESTIGACIONES CIENTIFICAS

JACOBUS M. RAMIREZ, O. P.

DE HABITIBUS IN COMMUNI

IN I-II SUMMAE THEOLOGIAE DIVI THOMAE EXPOSITIO

(QQ. XLIX-LIV)

* *

EDITIO PRAEPARATA A VICTORINO RODRIGUEZ, O.P.

INSTITUTO DE FILOSOFIA «LUIS VIVES»
MADRID, 1973

NIHIL OBSTAT: *Fr. Theophilus Urdanoz, O.P.*
Fr. Armandus Bandera, O.P.

IMPRIMI POTEST: *Fr. Hyacinthus Hoyos, O.P.*
Provincialis Provinciae Hispaniae.

IMPRIMATUR: *Dr. Constantius Palomo*
Vicarius Generalis.
Salmanticae, 18 decembris 1972.

BP
431
R173
v.6 pt. 2

© C. S. I. C.

ISBN 84-00-03939-4 Rústica Obra completa
ISBN 84-00-03944-0 Rústica Vol II
DEPOSITO LEGAL: S. 535-1973 Vol. II
PRINTED IN SPAIN

FEEHAN MEMORIAL LIBRARY
ST. MARY OF THE LAKE SEMINARY
MUNDELEIN, ILLINOIS

IMPRENTA «CALATRAVA». Libreros, 9. SALAMANCA 1973

B
4568
.R34
1970
v.6
pt.2

INDEX RERUM SYNTHETICUS

PARS ALTERA
DE EVOLUTIONE ET DISTINCTIONE HABITUUM

QUAESTIO LII
DE AUGMENTO HABITUUM

INTRODUCTIO 3

Art. praevius: Notio augmenti 3
§ I.—Augmentum univoce sumptum 4
§ II.—Augmentum analogice sumptum 7

Art. 1.—Utrum habitus augeantur 15
§ I.—De exsistentia augmenti habituum naturalium 16
A. De ipso nudo facto augmenti 16
B. De ratione propria huius facti 18
§ II.—De exsistentia augmenti habituum supernaturalium 26
A. De ipso facto augmenti 26
B. De ratione huius facti 30

Art. 2.—Utrum habitus augeantur per additionem 36
§ I.—De essentia augmenti habituum naturalium 38
A. De essentia augmenti habituum entitativorum 38

B. De essentia augmenti habituum operativorum 40
a) De essentia augmenti habituum operativorum organicorum 41
α) De essentia augmenti in habitibus organicis cognoscitivis 41
β) De essentia augmenti in habitibus organicis appetitivis 44
b) De essentia augmenti in habitibus operativis inorganicis 46
α) De essentia augmenti in habitibus mere intellectualibus 46
β) De essentia augmenti in habitibus moralibus 54
§ II.—De essentia augmenti habituum supernaturalium 62
A. De essentia augmenti habituum supernaturalium entitativorum 62
B. De essentia augmenti habituum supernaturalium operativorum 71
a) De essentia augmenti virtutum theologicarum 71
b) De essentia augmenti virtutum moralium infusarum 74
c) De essentia augmenti donorum Spiritus Sancti 75
Art. 3.—Utrum quilibet actus augeat habitum 83
§ I.—De causa augmenti habituum naturalium. 84
A. De exsistentia productionis augmenti huius 85
a) Quinam actus augeant habitum 85
b) Quantum augeant habitum 90
c) Quandonam augeant habitum 91
B. De genere causae quo actus causant augmentum habitus 92
§ II.—De causa augmenti habituum supernaturalium 93
Art. 4.—Utrum habitus augeantur in infinitum 100
§ I.—De augmentabilitate habituum naturalium 101
§ II.—De augmentabilitate habituum supernaturalium 103

QUAESTIO LIII

DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM

INTRODUCTIO 107
CAPUT I.—DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM NATURALIUM 109
§ I.—De corruptione habituum naturalium 109
A. De corruptione habituum entitativorum 109
1. De exsistentia corruptionis horum habituum 110
2. De natura vel modo corruptionis eorum 110
B. De corruptione habituum operativorum 111
1. De corruptione habituum operativorum organicorum 111
a) De exsistentia corruptionis horum habituum 111
b) De natura vel modo quo corrumpuntur 112
2. De corruptione habituum operativorum inorganicorum 116
a) De corruptione habituum intellectualium 117
1) De corruptione habituum pure intellectualium 117
α) De corruptione intellectus principiorum 117
β) De corruptione habituum intellectualium mediatorum 120
2) De corruptione habituum intellectualium practicorum 125
α) De corruptione synderesis. 125
β) De corruptione prudentiae. 129
b) De corruptione habituum moralium 137
§ II.—De diminutione habituum naturalium 134
A. De diminutione habituum entitativorum 135
B. De diminutione habituum operativorum 136
1. De diminutione habituum organicorum 140

a) De diminutione habituum intellectualium ... 140
1) De diminutione habituum speculativorum ... 140
α) De diminutione habitus intellectus ... 141
β) De diminutione habitus illativi ... 146
2) De diminutione habituum practicorum ... 148
α) De diminutione syndereseos 148
β) De diminutione prudentiae. 152
b) De diminutione habituum moralium ... 154

CAPUT II.—DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM SUPERNATURALIUM ... 173
§ I.—De corruptione habituum supernaturalium 173
A. De corruptione habituum communium viae et termino ... 174
a) De corruptione istorum habituum in statu viae ... 174
b) De corruptione horum habituum in statu termini ... 183
B. De corruptione habituum propriorum statui viae ... 184
C. De corruptione habituum propriorum statui termini ... 189
§ II.—De diminutione habituum supernaturalium 190
A. De diminutione habituum supernaturalium in statu viae ... 190
B. De diminutione habituum supernaturalium in statu termini ... 192

QUAESTIO LIV
DE DISTINCTIONE HABITUUM

CAPUT I.—PRINCIPIA DISTINCTIONIS. EXPOSITIO QUAESTIONIS S. THOMAE ... 199
Art. 1.—Utrum multi habitus possint esse in una potentia 199
§ I.—De habitibus ordinis naturalis ... 199
§ II.—De habitibus ordinis supernaturalis ... 203

Art. 2.—Utrum habitus distinguantur secundum obiecta 210
Art. 3.—Utrum habitus distinguantur secundum bonum et malum ... 217
Art. 4.—Utrum unus habitus ex multis habitibus constituatur ... 223

CAPUT II.—IPSA DIVISIO GENERALIS HABITUUM ... 233
§ I.—Divisio realis habituum ... 233
A. Divisio ex parte causae materialis ... 234
B. Divisio ex parte causae efficientis ... 235
C. Divisio ex parte causae finalis ... 236
D. Divisio ex parte causae formalis ... 237
§ II.—Coordinatio logica habituum realiter divisorum ... 240

COMPLEMENTUM
DE PROPRIETATIBUS HABITUUM

§ I.—Proprietates psychologicae habituum ... 245
§ II.—Proprietates morales habituum ... 248
§ III.—Proprietates mixtae vel psychologico-morales ... 249

APPENDICES

I.—Doctrina Sancti Thomae Aquinatis de distinctione inter habitum et dispositionem ... 255
II.—De subiecto virtutum cardinalium apud philosophos, patres et scholasticos ... 283
III.—De causalitate actuum virtutis infusae erga novos habitus generandos vel generatos augendos ... 291
IV.—Specimen tractatus de virtutibus in communi ... 301
INDEX ONOMASTICUS ... 317
INDEX BIBLICUS ... 321
INDEX THOMISTICUS ... 323
INDEX ANALYTICUS ... 331

PARS ALTERA

DE EVOLUTIONE ET DISTINCTIONE HABITUUM

QUAESTIO LII

DE AUGMENTO HABITUUM

443. Consequenter agendum est de augmento habituum. Sicut enim in viventibus ad generationem passivam sequitur nutritio et augmentatio, quarum prima ad secundam ordinatur, ita etiam in habitibus, qui constituunt aliquo modo vitam nostram accidentalem, ad passivam generationem —de qua actum est quaestione praecedenti— sequitur nutritio et augmentatio.

Et quidem de nutritione egit S. Thomas in responsione ad 3 ultimi articuli quaestionis praecedentis, dicens quod actus subsequentes habitum et procedentes ab habitu confirmant seu roborant, idest nutriunt habitum illum praeexsistentem. Hoc enim saltem admittendum est, quod actus procedentes ex habitu aliquo modo nutriunt habitum illum; an vero semper augeant de facto in hac quaestione, articulo tertio, discutietur.

Sed antequam ulterius procedamus, operae pretium erit, per modum introductionis explicare germanam notionem augmenti.

Art. praevius.-Notio augmenti

444. Sciendum est ergo quod hoc nomen «augmentum» quandoque sumitur univoce, quandoque vero analogice. Unde necesse est separatim videre notionem aut significationem eius univocam ac dein analogicam.

§ I

AUGMENTUM UNIVOCE SUMPTUM

445. Augmentum ergo univoce sumptum pertinet ad postpraedicamentum «motus» proprie dicti, prout a simplici mutatione differt. Secundum enim doctrinam Aristotelis, quam sequitur et approbat S. Thomas et generatim philosophi scholastici, motus proprie dictus datur per se circa tria praedicamenta tantum, nempe: a) circa praedicamentum «ubi», quod proprie est ubi «circumscriptivum», et sic vocatur «latio» seu motus localis; b) circa praedicamentum qualitatis, non quidem ut sic, sed prout stat sub tertia specie qualitatis, quae est passio et patibilis qualitas, et tunc dicitur «alteratio»; c) circa praedicamentum quantitatis, et sic non habet nomen genericum, sed a speciebus eius designatur, et appellatur augmentum et decrementum vel etiam incrementum et decrementum, accretio et diminutio: αὔξεσις καὶ φθίσις [1].

Et quidem iste motus proprie loquendo cadit circa quantitatem *physicam*, non autem circa quantitatem mathematicam, quia mathematica abstrahit a materia et *motu*, et solum considerat formam quantitatis, dum physica considerat et *motum per se*, eo quod obiectum eius proprium est ens seu corpus *mobile*.

446. Neque tamen motus augmenti proprie dicti afficit quamcumque quantitatem physicam vel substantiam quantam ut quantam, sed solum quantitatem physicam *viventium*. Motus enim augmenti est actus proprius potentiae augmentativae, quae est potentia vitalis vegetativa, sicut et potentia nutritiva et potentia generativa seu reproductiva. Et maxime respondet primaevae significationi verbi «natura», φύσις, quae germinationem vel florationem plantarum primo significat.

---

[1] Aristoteles, *V Physicorum*, cap. 2, n. 10.

Ac revera, quia motus *naturalis* est motus ab intrinseco et spontaneus, motus augmenti debet esse etiam ab intrinseco et spontaneus, non autem artificialis aut violentus et ab extrinseco, quod est idem ac dicere quod corpus movetur proprie loquendo motu augmenti quando crescit seu grandescit ab intrinseco seu per intussusceptionem —quae est propria viventium—, non vero quando grandescit ab extrinseco et per simplicem iuxtapositionem, quemadmodum crescit acerbus lapidum aut urbs aliqua dilatatur et expanditur.

Sic ergo augmentum proprie dictum est motus quo corpus animatum transit a minima quantitate naturali, quae ei competit per se secundo inde ab animatione et vi generationis, ad maximam quantitatem naturalem, quae ei debetur per se secundo vi naturae specificae et individualis.

Est enim magna latitudo inter terminum *primum a quo* istius motus augmenti, qui incipit, non quidem a puncto mathematico, sed a minima quantitate quae corpori viventi debetur ut primo animari et vivere possit, quasi terminus secundarius ipsius generationis, et terminum *ultimum ad quem* eius, quae est maxima quantitas naturalis quae corpori viventi secundum propriam naturam specificam et individualem debetur. Nec enim quantitas physica aut naturalis, et maxime quantitas viventium, dilatari potest in infinitum, sicut quantitas mathematica, sed sicut habet limitem naturalem in minimo ita etiam habet et in maximo.

Sed inter duos istos terminos extremos datur locus multiplici variationi motus augmenti, nempe a minima ad minorem et ad maiorem, a minori autem ad maiorem et ad maximam.

447. *Decrementum* autem seu diminutio est motus contrarius augmento, nempe motus quo corpus animatum transit a maxima quantitate naturali ei debita secundum speciem vel individuum, ad minimam in qua naturaliter adhuc vivere possit, quae plerumque non solet

esse adeo minima sicut illa quam initio animationis habebat.

Et quia maior quantitas naturalis se habet ad minorem et minimam sicut perfectum ad imperfectum et aliunde animal, dum crescit, vigorem accipit, ideo motus augmenti describitur a S. Thoma post Aristotelem quasi sit motus a minori ad maiorem quantitatem et robur seu quo corpus vivum perducitur ad perfectam seu debitam quantitatem et virtutem [1]. Unde ait S. Thomas: «*Terminus augmenti* est perfecta magnitudo, et dico perfectam secundum conditionem propriae naturae, alia enim perfectio magnitudinis competit homini et alia equo; *terminus autem decrementi* est id quod contingit esse in tali natura maxime remotum a perfecta magnitudine» [2].

«Manifestum est autem —ait alibi— quod *in omnibus* quae sunt secundum naturam, est certus terminus et determinata ratio magnitudinis et augmenti; sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia *propria*, ita et *propria quantitas*, licet *cum aliqua latitudine*, propter diversitatem materiae et alias causas individuales; non enim omnes homines sunt unius quantitatis. Sed tamen est aliqua quantitas tam magna, ultra quam species humana non porrigitur; et alia quantitas tam parva ultra quam homo non invenitur» [3].

Iste autem motus augmenti et decrementi valde graphice exprimitur ab Aristotele verbis supra citatis, nempe αὔξεσις καὶ φθίσις, nam φθίσις proprie loquendo significat paulatinam et continuam consumptionem vel debilitationem, dum e contra αὔξεσις importat impinguationem et vigorositatem crescentem.

---

1 S. Thomas, *IV Contra Gent.*, cap. 58; III, 65, 1.
2 *In VI Physic.*, lect. 13, n. 2.
3 *In II De anima*, lect. 8, n. 332. Vide *In V Metaphysic.*, lect. 18, nn. 1037-1038.

§ II

AUGMENTUM ANALOGICE SUMPTUM

448. Augmentum dicitur «analogice» de his quae sunt *extra genus quantitatis physicae viventis, secundum proportionem aliquam aut similitudinem cum illo motu augmenti proprie et univoce dicti.*

Sic autem dicitur duobus modis:

a) Quandoque analogice *analogia metaphorica,* propter quamdam similitudinem *effectus* in motu augmenti vitalis et in aliis corporibus. Et quia *effectus* motus augmenti, prout *exterius* apparet, est maior quantitas seu volumen corporis augmentati, ideo id quo corpus aliquod efficitur maius, idest maioris voluminis aut quantitatis, dicitur augmentum eius. Et sic dicitur augmentum quantitatis *physicae non vitalis,* simplex *aggregatio vel iuxtapositio* artificialis aut violenta unius quantitatis ad aliam, sicut additur lapis lapidi in acerbo aut in domo aedificanda, vel domus domui in urbe dilatanda vel lignum ligno in igne fovendo.

Et eodem modo dicitur augmentum de quantitate *mathematica sive continua sive discreta,* scilicet per *simplicem additionem* quantitatis ad quantitatem seu unitatis ad unitatem modo homogeneo.

Et ratio est quia in hac functione vitali, quae est augmentatio, duo sunt elementa distinguenda: unum *quasi formale,* nempe quod sit motus ab intrinseco et spontaneus, qui afficit simul omnes et singulas partes corporis augmentabilis, et sic motu augmenti crescunt seu grandescunt simul et proportionaliter omnia membra et arctus corporis organici, nempe et caput et corpus et brachia et crura et pedes et manus; aliud vero est elementum *quasi materiale,* scilicet maius volumen seu maior moles seu maior extensio partium extra partes.

In augmento autem sive physico sive mathematico per simplicem iuxtapositionem aut additionem, non ha-

betur coincidentia vel similitudo nisi quantum ad elementum *materiale*, scilicet maius volumen aut maiorem extensionem partis extra partem; et non quantum ad elementum *formale aut fundamentale*, quod est verus motus et vera progressio in omnem directionem simul. Unde fit ut *metaphorice* corpora non viventia dicantur crescere eo fere modo quo flumen dicitur currere et aqua dicitur viva et cadaver dicitur homo. Ad rem S. Thomas: «Augeri nihil aliud est quam sumere maiorem quantitatem... Hoc autem contingit *dupliciter*, quia aliquando *illud quod* sumit maiorem quantitatem *movetur* de quantitate minori in maiorem; aliquando autem est *sine motu ipsius quod augeri* dicitur; unde *non quaelibet pars* augetur, sicut quaelibet pars moti per se movetur, et *hoc* contingit quando efficitur maior quantitas *per additionem* quantitatis, sicut quando additur lignum ligno vel linea lineae. Unde hoc est *augmentum*, sed non *motus* augmenti»[1].

Et alibi: «Corpora *animata* —inquit— *vere* nutriuntur, quia per alimentum conservatur vita in illa parte *eadem* quae prius fuit, et *propter hoc etiam sola animata vere augentur*, quia quaelibet pars eorum nutritur et augetur, *quod non convenit rebus inanimatis*, quae videntur *per additionem* crescere. Non enim crescit *id* quod *prius* fuit, sed ex additione alterius constituitur quoddam *aliud* totum maius»[2]. Et ait expresse quod corpora inanimata, v. gr. ignis, dicuntur aliquando nutriri et crescere *per quandam similitudinem scilicet metaphorice*, quia deest convenientia in ratione formali quae est *motus*[3].

449. b) Quandoque autem augmentum dicitur analogice *analogia proportionalitatis propriae*, propter quandam similitudinem *in ratione propria et formali et specifica motus augmenti* univoce dicti, licet alio modo et in alio praedicamento.

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 1.
[2] *In II De anima*, lect. 9, n. 342.
[3] *Ibidem*, nn. 341-342.

Ut enim saepius dictum est, motus augmenti proprie et univoce sumpti dicitur de quantitate *dimensiva seu molis* corporis *animati*, qua transit a parva ad magnam quantitatem sibi connaturalem, et haec magna quantiatas dicitur quantitas *perfecta* respectu quantitatis parvae, quae erat *imperfecta*. Id ergo quod *formale* est in isto augmento est ratio motus ab intrinseco et quidem ab imperfecto ad perfectum et a debilitate quae respondet parvae quantitati, ad robur et vigorositatem seu virtutem quae respondet magnae corpulentiae seu quantitati.

Quandocumque ergo detur quidam motus seu transitus ab intrinseco et spontaneus ab imperfecto seu inchoato ad perfectum vel consummatum, licet id quod transit ab imperfecto ad perfectum non sit in praedicamento quantitatis vel corporis viventis, poterit *vere* et *proprie* dici quod augetur et crescit, licet alio modo ac corpora viventia, nempe analogice, analogia proportionalitatis propriae. Et hoc modo dicitur motus augmenti de his quae habent quantitatem virtutis seu perfectionis, ut sunt formae accidentales, ideo qualitates, maxime si sint vitales, ut habitus et virtutes.

Nam «*sicut* nomen *magnitudinis* derivatur (analogice) a quantitatibus corporalibus (=molis seu dimensiva) ad intelligibiles perfectiones formarum (=ad quantitates virtutis seu perfectionis), *ita etiam* et nomen augmenti, cuius terminus est magnum»[1].

Ratio autem cur ista analogia detur est quia res spirituales et incorporales consuevimus cognoscere et nominare ex sensibilibus et corporalibus nobis primo notis, et hac etiam ratione divina ex humanis et creatis nominamus. Quod quidem agregie S. Thomas explicavit his verbis: «Sciendum est ergo quod, cum nomina sint

[1] I-II, 52, 1 ad 1. Vide de hac duplici acceptione quantitatis praedicamentalis et transcendentalis seu metaphysicae *De Veritate*, q. 29, art. 3; *In V Metaphysic.*, lect. 18, n. 1038; I, 42, 1 ad 1, et alibi pluries.

signa intellectuum, ut dicitur I Periher., sicut ex magis notis *cognoscimus* minus nota, ita etiam ex magis notis minus nota *nominamus*. Et inde est quod, quia motus localis est notior inter omnes motus, ex contrarietate secundum locum derivatur nomen distantiae ad omnia contraria inter quae potest esse aliquis motus, ut dicit Philosophus in X Metaphysic. Et *similiter*, quia motus substantiae secundum *quantitatem* est *sensibilior* quam motus secundum *alterationem* (=quae est motus secundum qualitatem), inde est quod nomina convenientia motui secundum quantitatem, derivatur ad alterationem, et inde est quod *sicut* corpus quod movetur secundum quantitatem perfectam dicitur augeri et ipsa quantitas perfecta dicitur magna respectu imperfectae, *ita* illud quod movetur de qualitate imperfecta ad perfectam dicitur augeri secundum qualitatem et ipsa qualitas perfecta dicitur magna respectu imperfectae»[1].

Proprie autem hoc inde provenit, quod motus augmenti est *opus vitale*, quod sensibiliter videmus in corporibus viventibus: et sicut nomen vitae analogice, analogia proportionalitatis propriae, dicitur de incorporalibus et spiritualibus, ita etiam et nomen augmenti vel potius motus augmenti.

Licet ergo magis accedat ad rem respectu habituum, motus *alterationis* quam motus augmenti, tamen quia alteratio non est per se nisi in tertia specie qualitatis, non proprie potest dici de habitibus, qui sunt in prima, unde semper oporteret analogice loqui. Hoc autem dato, analogia derivatur ab eo quod notum omnibus est, nempe a nomine augmenti. Et hoc modo omnes homines loquuntur, atque etiam Sacrae Litterae relative ad supernaturalia, ut sensui communi se attemperent.

Et sic augmentum et decrementum in quantitate virtuali *idem est ac intensio et remissio*. At iterum iterumque inculcandum quod analogia augmenti quantum

[1] *De Virtutibus in communi*, q. 1, art. 11.

ad impositionem nominis derivatur ab augmento vitali animali, et inde transfertur ad augmentum vitale spirituale, primo quidem ordinis naturalis, dein ordinis supernaturalis. Philosophice autem et systematice prius apparet quantitas molis et inde quantitas virtualis; at non inde primo fit transitus verbi augmenti.

450. Si quis autem recte consideret, apparet quod *haec analogia augmenti potest duplici via explicari*: uno modo, ut videntur fecisse S. Thomas et communiter scholastici, sumendo veluti fundamentum eius *quantitatem*, hac ratione, quia augmentum est motus circa praedicamentum quantitatis, et tunc quot modis dicitur quantitas tot modis diceretur augmentum. Quantitas autem est duplex: alia, dimensiva seu molis, vel praedicamentalis vel univoce sumpta, sive sit physica sive mathematica, sive continua sive discreta; alia vero est quantitas virtutis seu perfectionis vel transcendentalis, quae est propria formarum et consequenter qualitatum, quae formae quaedam sunt, et analogice dicitur quantitas.

Consequenter, etiam augmentum dicitur dupliciter: uno modo, augmentum quantitativum seu dimensivum vel quasi praedicamentale et univocum, quod scilicet versatur circa quantitatem dimensivam; alio modo, augmentum qualitativum seu virtuale et analogicum, cadens supra quantitatem virtualem seu perfectionis. Et in hoc sensu dicitur de habitibus.

Sed adest periculum quod istud augmentum qualitativum male intelligatur, ex eo quod per modum unius sumitur quantitas molis physica et mathematica, viva et non viva. Et inde periculum continuum aequivocationis, ex phantasmate quantitatis mathematicae, quando postea agitur de metaphysica qualitatum.

In quod quidem periculum multi incidunt, licet S. Thomas pro suo ingenio ab eo fuerit liberatus. Unde exercitio suo et quibusdam verbis huc illuc prolatis, aliam viam meliorem et profundiorem et securiorem indicavit.

451. Alia ergo via planior et tutior est sumere pro basi et fundamento *motum ipsum augmenti*, quia non agitur directe de analogia quantitatis, sed de analogia augmenti, et ideo oportet ponere acentuationem in augmento, non in quantitate.

Sic autem augmentum proprie et *univoce* dicitur de motu augmenti, qui est motus corporis viventis seu animati, ubi id quod formale eius est, est *vita*, materiale vero et secundarium est ratio *corporis* seu *quanti*.

Ex hoc autem analogice derivatur duplex acceptio augmenti: alia *metaphorica*, quia non convenit nisi in elemento secundario et materiali, scilicet in corpore, et sic dicitur augmentum de corpore non vivo seu inanimato, sive physico sive mathematico; at deest elementum formale, scilicet motus vitalis, vel quia omnino motus non datur —ut in corpore mathematico— vel quia est motus ab extrinseco et artificialis, sicut in iuxtapositione corporum physicorum.

Alia vero acceptio analogica est *propria*, quia *vitalis* est et motum ab intrinseco praesefert, licet careat quantitate et corporeitate, quae erat elementum secundarium, et talis est motus augmenti spiritus viventis, et hoc modo dicitur de habitibus operativis ad quos fit transitus per dispositiones corporales viventium, ut sanitas et alia huiusmodi.

Nihil ergo in hac via oportet respicere ad metaphoricam acceptionem, quae non derivatur ex analogia propria, neque propria ex metaphorica, sed imperfecto modo ex univoca, et sat est considerare acceptionem univocam propriam quantum ad id quod formale est in ipsa, et modo suo proprio applicare ad acceptionem analogicam propriam: quia enim propria et formalis est, oportet ad elementum formale et specificativum univocae significationis respicere; quia vero est analogica et non univoca, oportet proportionaliter et secundum modum proprium applicare ad subiectam materiam, significationem formalem.

Non igitur est necesse divagare per phantasmata mathematica neque per omnes formas et qualitates, sed sat est vitalem evolutionem, ut vitalem, corporis viventis, inspicere et inde qualitatibus vitalibus ut vitalibus, quae sunt habitus, proportionali modo applicare. Videtur enim quod, revera, intensio et remissio formarum, sit veluti extensio quaedam analogica augmenti vitalis in qualitatibus vivis, et non e converso.

Hoc ergo modo et hac via procedemus in praesenti. Quotupliciter autem augmentum sumi possit et debeat in hoc sensu, dicetur suo loco, prout necessitas expositionis requirit.

452. En ergo schematice:

MOTUS AUGMENTI:

I) *proprie et univoce*: proprius actus potentiae augmentativae corporis viventis:
- A) *secundum se*: motus secundum quantitatem molis et virtutis simul, nempe:
  - a) per prius et formaliter: secundum quantitatem virtutis, qui importat motum:
    - 1) ipsius corporis augmentabilis,
    - 2) spontaneus et naturalis et ab intrinseco,
    - 3) secundum omnes eius partes simul,
    - 4) a minori ad maiorem perfectionem vitae vegetativae,
    - 5) a minori ad maiorem virtutem seu vigorem ita ut possit generare.
  - b) per posterius et materialiter: secundum quantitatem molis, quia importat motum a minori ad maiorem molem seu dimensionem.
- B) *secundum relationem* ad augmentum extensive et analogice sumptum:
  - a) secundum elementum *formale* seu virtutis, fundamentum augmenti analogici analogia *propria*.

b) secundum elementum *materiale* seu molis: fundamentum augmenti analogici analogia *metaphorica*.

II) *extensive et analogice*: secundum similitudinem effectus vel formae seu virtutis potentiae augmentativae corporis viventis, cum tamen non sit proprie corpus vel non sit illa potentia:

A) analogia *metaphorica*: secundum meram similitudinem *effectus* in quantitate molis seu dimensiva tantum seu in corpore *inanimato*:

a) *physico*: augmentum per meram iuxtapositionem quantitatis ad quantitatem:

1) artificialem.
2) violentam.

b) *mathematico*: augmentum per meram additionem:

1) magnitudinis ad magnitudinem.
2) numeri ad numerum.

B) analogia *propria*: secundum similitudinem *virtutis et perfectionis* dempta quantitate molis: secundum quantitatem *virtutis tantum* non cuiuscumque sed *vivae* vita spirituali: augmentum qualitatis vivae, nempe habitus entitativi vel operativi, quod proprie loquendo dicitur *intensio*, sicut decrementum dicitur *remissio*.

453. S. Thomas ergo in hac quaestione loquitur de augmento habituum, non quomodocumque, sed *de vero motu augmenti*, et circa illum considerat duo: 1°, ipsum motum augmenti secundum se (art. 1-2); 2°, propriam causam efficientem huius motus augmenti (art. 3).

Circa motum vero augmenti secundum se duo considerat: a) exsistentiam eius (art. 1); b) essentiam vel modum eius (art. 2). Schematice ergo:

De augmento habituum:

I) secundum se:

a) exsistentia (a. 1).
b) essentia vel modus proprius (a. 2).

II) de propria causa motus augmenti (a. 3).

Et haec videtur esse melior explicatio ordinis articulorum quam ea quam habet C. Koellin, cum ait: «Duo facit (S. Thomas): 1°, quaerit an augmentatio conveniat habitui; 2°, quomodo articulo secundo et tertio»[1], nempe «primo ex parte ipsorum habituum (a. 2); secundo ex parte causae agentis» (art. 3)[2], «an videlicet augens habitum augeat quolibet actu»[3].

Art. 1.-Utrum habitus augeantur

454. In hoc sicut et in aliis duobus articulis huius quaestionis considerat S. Doctor augmentum habituum in genere, sicut propria indoles tractatus postulat, non descendendo in particulari ad habitus proprie loquendo morales seu virtutes, et minus adhuc ascendendo ad habitus supernaturales vel infusos; nam de virtutibus moralibus agit infra, q. 66, art. 1; de gratia vero, q. 112, art. 4: utrum gratia sit maior in uno quam in alio; de virtutibus vero theologicis agit in propriis locis, nempe de fide in II-II, q. 1, art. 7, ex parte *obiecti*, nempe utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint; ex parte *actus*, in q. 2, art. 5-8, ubi sermo est de fide explicita et implicita; de ipso vero *habitu* fidei, in q. 4, art. 3-4, ubi agitur de fide informi et formata; de spe autem valent circiter ea quae de fide dicuntur; de caritate vero specialissime agit in q. 24, art. 4-9.

---

1 Conradus Koellin, *In I-II*, q. 52, edit. cit., p. 351.
2 *Ibidem*, art. 2, p. 354.
3 *Ibidem*, art. 3, p. 356.

Et quidem, ut plena et perfecta esset tractatio haec, deberet manifeste considerari augmentum in diversis generibus supremis, nempe saltem in genere supremo habitus naturalis seu acquisiti et habitus supernaturalis vel infusi. Quod quide, pro modulo nostro conabimur facere, non descendendo proprie ad singula intra unumquodque genus, nisi prout necessitas expositionis generalis requirat.

§ I

DE EXSISTENTIA AUGMENTI HABITUUM NATURALIUM

455. Circa exsistentiam augmenti habituum naturalium quaerimus duo: 1°, *nudum factum* talis augmenti; 2°, *rationem* facti huius, nempe utrum sit augmentum secundum ipsam essentiam habitus vel non, et *quomodo* tale augmentum —prout factum quoddam est— intelligi valeat.

Et quia habitus iste potest esse aut proprie et stricte dictus, nempe habitus operativus, aut large et improprie, nempe habitus entitativus seu corporalis, qui potius est habitualis quaedam dispositio, ideo de utroque hic agemus, quia, quantum ad rationem augmenti videtur quod non sit magna differentia, quamvis aliqua concedi debeat eo quod simplex dispositio videtur esse susceptiva maioris latitudinis secundum se quam habitus stricte dictus.

A. *De ipso nudo facto augmenti*

456. CONCLUSIO: *Datur de facto motus augmenti in habitibus tum entitativis tum operativis.*

457. *Probatur per partes*: a) *Quoad entitativos.* Sanitas et aegritudo, pulchritudo et deformitas, fortitudo et macies, sunt habitus vel dispositiones habituales entitativae. Atqui experientia interna et externa constat has omnes dispositiones moveri secundum augmentum et decrementum.

Quotidie enim experimur debilem sanitatem augeri et roborari sive auxilio medicinae sive exercitio corporali moderato et proportionato, sive nutritione appropriata secundum quantitatem et qualitatem conditionibus subiecti.

Et idem dic de aegritudine, quae quandoque levis est et postea augetur et fit gravis aut mortalis.

Similiter pulchritudo perfici et augeri potest, itemque deformitas, ut quotidie videmus, quod multis de causis paulatim pulchritudo corporalis deperditur.

Idem dic de vigore et macie, quae augeri et minui nimis compertum est.

Et quidem haec in uno eodemque homine accidunt, ut videmus in nobis et in aliis. Quod si comparemus diversos homines inter se, evidentius hoc apparet; unus enim est magis sanus aut aegrotus quam alius; alter est altero pulchrior aut deformior, alter altero etiam robustior aut debilior, secundum diversas aetates et conditiones, et in eadem quoque aetate.

458. b) *Quoad habitus operativos.* Evidentius adhuc hoc apparet quantum ad habitus operativos. Et quidem, si sumamus scientias et artes *in diversis hominibus et in diversis temporibus*, videmus quomodo crescunt et evolvuntur, ut ostendunt historiae litteraturae et artium et scientiarum et philosophiae et theologiae sacreae. Historia enim collegit nomina eorum qui primos passus dederunt in aliqua arte vel scientia, et eorum qui postea eam perfecerunt, addendo paulatim novas et novas adinventiones, ut vel instrumenta materialia quibus quotidie utimur, ostendunt et praeseferunt. Quae quidem historia quandoque narrat progressus scientiarum et artium, quandoque vero regressum et declinationem.

Et idem constat, si sumamus unum eumdemque hominem numero. Unusquique enim scit quomodo incoepit

aliquam artem aut scientiam addiscere, et dein quomodo pedetentim veluti per gradus ad maiorem veniat perfectionem, usque dum aliquando evadat vere peritus et magister in arte vel scientia illa.

Dicamus ergo quod cultura physica, intellectualis, moralis, humanitatis, ostendit ipso facto quod datur augmentum et decrementum in habitibus humanis, tam entitativis quam operativis.

B. *De ratione propria huius facti*

459. Hoc ergo dato et experientia comprobato, oportet *radicem* eius aperire, ut videamus quomodo sit intelligendus iste motus augmenti.

Relictis autem quotuor illis opinionibus antiquorum circa intensionem et remissionem formarum, quas S. Doctor narrat hic ex Simplicio, quaestio est utrum iste motus augmenti afficiat ipsum habitum secundum se, idest secundum suam essentiam, vel non, eo fere modo quo theologi quaerunt de caritate utrum augeatur secundum se vel essentialiter, an solum accidentaliter et quasi extrinsece [1]. Si enim ipse habitus non augetur secundum se vel essentialiter, non apparet quomodo possit dici quod *ipse* habitus *vere* augetur; si vero hoc concedatur, videtur sequi inconveniens, nempe quod *ipsa* essentia mutetur et varietur, cum tamen essentiae dicantur immutabiles et invariabiles.

Ac revera id quod Magister Sententiarum dicebat de caritate, quae non augetur essentialiter aut secundum se, sed potius homo habens caritatem, qui proficeret in maiorem vel minorem fervorem in diligendo, proportionaliter poterat dici respectu omnium habituum in genere, nempe quod non augentur secundum se et essentialiter, sed potius homo crescit in operando secundum habitus illos, et talis erat modus intelligendi quem suggerit Aristoteles in Logica et S. Thomas refert hic, in secundo loco.

1 S. Thomas, II-II, 24, 4 ad 3.

460. Conclusio: ***Habitus sunt augmentabiles essentialiter vel secundum se.***

461. *Probatur*. Quae augentur secundum ea quae eis conveniunt ex propria ratione generis et ex propria ratione differentiae specificae, augentur essentialiter. Atqui habitus augentur secundum ea quae eis conveiunt ex propria ratione generis et ex propria ratione differentiae specificae. Ergo habitus augentur essentialiter vel sunt augmentabiles secundum suam essentiam.

Maior constat, nam quae augentur secundum elementa constitutiva essentiae vel speciei augentur essentialiter. Atqui genus et differentia specifica sunt elementa constitutiva essentiae vel speciei. Ergo quae augentur secundum ea quae eis conveniunt ex propria ratione generis et ex propria ratione differentiae specificae augentur essentialiter.

Minor autem, ubi unice sistit difficultas, sic ostenditur: Habitibus, utpote qualitatibus primae speciei, duo essentialiter conveniunt, nempe: a) unum, ex propria ratione *generica* qua sunt *accidentia* quaedam, quibus convenit, in quantum huiusmodi, habere esse et fieri et agere *in subiecto*; b) aliud, ex propria ratione *specifica*, idest ex propria differentia specifica, qua essentialiter distinguuntur a ceteris accidentibus et a ceteris speciebus qualitatis, et hoc est dicere ordinem vel relationem transcendentalem ad aliquid extra ipsam qualitatem, a quo specificantur et per quod a ceteris essentialiter differunt. Atqui ex utraque parte vel ratione convenit habitibus augmentum suscipere seu intendi et remitti. Ergo habitus augentur vel sunt augmentabiles secundum ea quae eis conveniunt ex propria ratione generis et ex propria ratione differentiae specificae.

Minor autem subsumpta probatur *multipliciter*: indirecte et quasi negative, quia nulla adest causa impossibilitatis augmenti eius: augmentum habitus non est impossibile. Et directe seu positive, quia augmentum habitus est non solum possibile, sed et reale, quod quidem

probatur tum argumento proprio, tam inductivo quam deductivo, cum argumento analogico.

462. a) *Indirecte seu quasi negative*, ex remotione causarum quibus aliqua forma est incapax augmenti. Aliqua enim forma potest esse incapax augmenti seu intensionis et remissionis ex duplici capite: aut ratione *sui* seu ex parte sui, aut ratione *participationis* in subiecto, quod indivisibiliter afficeret. *Ex parte sui* quidem, quia est forma quaedam *absoluta et semper in abstractione considerata*, sicut sunt formae mathematicae, et tunc non suscipiunt magis et minus secundum se, quia secundum se specificantur, et id a quo sumitur species debet esse fixum et stans et in indivisibili positum. Sic forma mathematica, sive continua sive discreta, potest esse maior aut minor, sed non magis et minus; similiter formae abstractae a materia et motu seu latitudine mobilitatis. *Ex parte autem participationis in subiecto*, quia subiectum afficit indivisibiliter, eo quod speciem et esse primum et simpliciter ei tribuit, sicut forma substantialis materiae primae et hac de causa forma substantialis non est susceptiva augmenti et decrementi secundum essentiam suam.

Atqui nulla ex his duabus causis concurrit in habitibus. *Non prima*, quia habitus est essentialiter *forma physica vel potius psychologica*, quae non consideratur in abstractione pura a materia et motu, sed potius essentialiter concernit materiam et motum, sicut omnia physica, et hac de causa in sua propria definitione importatur ordo quidam ad aliud veluti ad terminum cum quodam motu et mobilitatem. Unde et in ipsa definitione habitus ponitur quod sit difficile mobilis. *Non secunda*, quia habitus est essentialiter forma accidentalis, quae non dat speciem neque esse primum et simpliciter proprio subiecto. Nulla ergo est causa cur habitus non possint augeri et minui.

Quin potius, capacitas essentialis augmenti in habitibus humanis videtur omnino naturalis et obvia. Quia enim in homine pars superior quodammodo pendet a

parte inferiori, naturaliter sequitur quidam parallelismus inter vitam physicam seu corporalem hominis et vitam eius intellectivam et moralem. Atqui homo in vita sua physica seu corporali augetur, quia vis augmentativa afficit totum compositum vivens. Ergo et vita intellectualis et vita moralis essentialiter etiam augetur. At non secundum naturales potentias, quia potentiae spirituales vel inorganicae in quantum huiusmodi non intenduntur et remittuntur. Ergo secundum habitus et actus.

Mirabile ergo esset quod habitus non augerentur secundum essentiam suam, et ideo neganti tale augmentum potius competeret onus probandi suam negationem, quam affirmanti ipsum probare affirmationem suam. Cum igitur impossibilitas huius augmenti sit indemonstrabilis et inverosimilis, dicendum statim est, cum sensu communi, habitus esse susceptivos augmenti secundum essentiam suam. Omnia viventia physica crescunt, sicut et nascuntur et moriuntur. Cum ergo homo sit vivens physicum, eidem legi fundamentali subiicitur nascendi, crescendi et moriendi.

463. b) *Directe, argumento proprio inductivo*: Omnis habitus naturalis aut est entitativus seu corporalis aut operativus seu spiritualis quodammodo. Atqui utrumque genus habituum augetur essentialiter. Ergo omnis habitus humanus augetur essentialiter.

Minor, ubi stat difficultas sic probatur *per partes*:

464. 1) *Habitus entitativi augentur essentialiter*. Isti enim habitus, ut patet ex dictis quaestione 49, potius quam habitus stricte dicti, sunt dispositiones habituales. Atqui dispositiones, maxime si corporales sunt, sunt essentialiter variabiles et susceptivae intensionis et remissionis, perfectionis et imperfectionis, quia *de ratione dispositionis est plus minusve accedere ad formam et plus minusve disponere subiectum ad formam*; quod si subiectum earum sit corporale itemque dispositiones ipsae, dicendum est quod a fortiori latitudo quaedam et indeterminatio

essentialiter datur. Quod si dispositio non esset essentialiter variabilis in hoc sensu, eo ipso *desineret esse dispositio,* quia numquam per eam subiectum posset ad formam venire. Id est, dispositio *ratione sui* est facile mobilis, in fieri, in moveri, in accessu vel recessu a forma vel termino. Praeterea etiam *ratione subiecti,* quod est corpus, materia, indeterminatum, mobile, perfectibile.

465. 2) *Similiter habitus operativi humani augentur essentialiter.* Nam isti habitus operativi essentialiter consistunt in hoc quod disponant et perficiant potentiam operativam in qua sunt, ad attingendum proprium obiectum. Atqui tam ex parte *perfectionis* quam potentiae tribuunt, quam ex parte *attingentiae obiecti,* datur latitudo quaedam seu magis et minus.

Ex parte quidem potentiae perficiendae, quia maioris capacitatis passivae est potentia quam habitus, quia ad plura obiecta et pluribus modis de se ordinatur quam habitus, cum dicat maiorem *indeterminationem.* Quantumcumque ergo habitus actuet et perficiat potentiam, semper tamen poterit magis et magis eam perficere, quia perfectibilitas potentiae et perfectio habitus non adaequantur.

Ex parte etiam attingentiae obiecti datur magna latitudo; nam vel agitur de habitu mere cognoscitivo seu speculativo, vel de habitu practico, qui est virtus proprie dicta. Atqui in utroque casu datur quaedam latitudo tum ex parte ipsius obiecti attingendi tum etiam ex parte ipsius attingentiae vel modi attingentiae.

Ex parte *obiecti* attingendi, quia obiectum attingendum ab habitibus *speculativis* est verum universale et abstractum et illativum plerumque, quod ideo exigit pluralitatem quamdam obiecti materialis et variabilitatem medii quantum ad sui applicationem; unde fit quod tale obiectum non stet in puncto aliquo indivisibili. Similiter *in virtutibus,* obiectum attingendum est medium rationis seu prudentiale, quod non stat in puncto mathematico, sed latitudinem et variabilitatem sat magnam praesefert,

ita ut maiorem vel minorem accessum ad ideale eius admittat essentialiter, ut probat S. Thomas post Aristotelem, infra, quaestione 66, articulo primo.

Ex parte etiam *ipsius attingentiae,* quae se habet per modum *motus* habitus ad obiectum, et consequenter, *sicut ceteri motus,* potest intendi et remitti essentialiter, invariato etiam proprio termino; et sic potest perfectius aut minus perfecte idem obiectum idemque medium attingere, cognoscendo aut agendo. Unde S. Thomas pulchre ait: «Idem *etiam* indivisibile signum unus propinquius et promptius attingit quam alius, sicut etiam patet in sagittatoribus trahentibus ad certum signum» [1].

466. c) *Directe, argumento proprio deductivo.* Habitus ut sic est susceptivus augmenti et diminutionis secundum propriam rationem quasi generis eius utpote accidentis, et ultimae differentiae, utpote primae speciei qualitatis.

467. *Ex parte quasi generis* convenit habitibus *inhaerere* proprio subiecto, sicut et ceteris accidentibus. Atqui *inhaerentia* haec non stat in indivisibili, sed est essentialiter susceptiva magis et minus seu intensionis et remissionis. Aut enim haec inhaerentia consideratur *absolute vel secundum se,* aut secundum *effectum eius quasi formalem,* qui est dare quoddam *esse* subiecto et habere quoddam *esse* proprium. Atqui ex nullo capite apparet indivisibilitas. Non quidem ex parte ipsius *inhaerentiae secundum se,* quia haec convenit accidenti ut accidens est, quod tamen distinguitur in novem genera secundum prius et posterius sive secundum magis et minus; inhaerentia ergo ut inhaerentia non stat in indivisibili. Neque ex parte effectus quasi formalis, qui est *dare quoddam esse* subiecto in quo est, nempe esse *accidentale,* nam hoc esse est esse superadditum et secundum quid, quod non constituit subiectum in esse subiecti, et ideo potest ades-

---

[1] I-II, 66, 1 in fine.

se vel abesse et variari secundum magis et minus, salvo proprio subiecto, uti apparet in Eucharistia. Unde forma quidem substantialis, quia dat esse simpliciter subiecto in quo est, non suscipit magis et minus; quod quidem non occurrit cum habitibus, qui sunt formae accidentales. Neque ex parte effectus quasi formalis concomitantis, qui est habere *esse proprium accidentale*, quia istud esse non est absolutum ut *quod*, sed est essentialiter *inesse* et ut *quo*, idest dependenter a subiecto prius et independenter exsistente absolute, et ideo potest suscipere magis et minus secundum maiorem vel minorem *inhaesionem* in subiecto, in quo radicatur, eo fere modo quo videmus quod plantae radices mittentes in terram, magis vel minus profunde eas immittunt, et sic magis et minus firmantur in terra.

468. *Ex parte quasi differentiae specificae*, qua habitus distinguuntur essentialiter a ceteris generibus accidentium et a ceteris speciebus qualitatis, idem apparet. Formae essentialiter *relativae* ad aliquid extra, ex quo specificantur veluti a termino vel fine, suscipiunt magis et minus secundum propriam speciem, prout magis et minus accedunt vel appropinquant ad finem et terminum illum, sicut videmus in motu, qui specificatur a termino extra. Atqui habitus sunt essentialiter, secundum propriam rationem differentialem et specificam, formae relativae ad aliquid extra ipsos. Ut enim patet ex dictis in quaestione 49, habitus per se primo dicuntur per ordinem ad naturam vel ad finem naturae subiecti in quo sunt prout agitur de habitibus entitativis vel operativis. Atqui ordo iste non stat in indivisibili, sed latitudinem suscipit, prout magis vel minus attingit ipsam naturam vel finem naturae. Nec enim connaturalitas physica vel psychologica stat in puncto mathematico, sed in latitudine quadam, et potius *circa ipsam* quam in ipsamet; stat enim *in medio* quodam naturali, quod non est punctum indivisibile et invariabile, sed variabile et mobile sicut et ipsa natura. Neque ergo ex parte ordinis ad naturam ipsam subiecti

neque ad diversa obiecta et fines apparet ratio indivisibilitatis.

Optime ergo S. Thomas scribit: «Quando autem est aliqua forma quae *in sui ratione* importat quandam *proportionem multorum* ordinatorum ad *unum*, talis forma, *etiam secundum propriam rationem*, recipit magis et minus, sicut patet de sanitate et pulchritudine, quorum utrumque importat proportionem convenientem naturae eius quod dicitur pulchrum vel sanum, et quia huiusmodi proportio potest esse vel magis vel minus conveniens, inde est quod ipsa pulchritudo vel sanitas in se considerata dicitur secundum magis et minus» [1].

Neque ergo terminus a quo speciem sortiuntur habitus stat in puncto indivisibili, neque ordo ad talem terminum in indivisibili consistit, et consequenter secundum propriam differentiam specificam convenit habitibus habere latitudinem quandam et augeri et minui seu intendi et remitti.

469. d) *Directe argumento analogico*. *Triplex* distinguitur *vita*: alia est physica seu corporalis, sive vegetativa sive sensitiva, alia intellectualis et alia moralis. Inter eas viget proportio sicut inter corpus et animam, sive inter materiam et formam. Atqui *augmentum* observatum *in vita physica* non est secundum ipsam essentiam animae et informationem eius, quae stat in indivisibili, neque secundum naturales eius potentias cum anima concreatas; ergo est secundum actus et habitus, et non secundum actus tantum, quia non solum in actu secundo, sed et in actu primo. Similiter augmentum *in vita intellectuali et morali* non est secundum ipsam animae essentiam, neque secundum naturales eius potentias spirituales; ergo est secundum actus et habitus, quia non solum habetur perfectior vita accidentalis secundum actum secundum, sed etiam in actu primo et secundum actum primum.

[1] *In X Ethic.*, lect. 3. Cf. *De Virtutibus Cardinalibus*, art. 3.

470. e) *Argumento totali*, colligendo cetera per modum unius ex quaestionibus 49-51:

1) *Ex quaestione 49*: quia habitus est forma accidentalis transcendentaliter relativa ad naturam subiecti —substantia vel naturalis potentia—, quae non stat in indivisibili ut punctum mathematicum.

2) *Ex quaestione 50*: proprium subiectum habitus —natura subiecti cuius est— est ens in potentia ad plura vel pluribus modis, et inde latitudo seu mobilitas.

3) *Ex quaestione 51*: causa habitus est actus, qui cum latitudine efficacitatis exercetur et quoad specificationem et quoad exercitium intra eandem specificationem.

§ II

De exsistentia augmenti habituum supernaturalium

471. Duo similiter quaerimus circa augmentum habituum infusorum vel supernaturalium, scilicet: 1°, *factum* augmenti; 2°, quomodo sit intelligendum factum illud, utrum scilicet sit augmentum secundum essentiam seu essentiale, an solum accidentale.

A. *De ipso facto augmenti*

472. conclusio: *Habitus infusi vel supernaturales augentur de facto.*

473. *Probatur*. Habitus supernaturales seu per se infusi sunt duplicis generis, nempe habitus *entitativus*, ut gratia sanctificans seu habitualis, et habitus *operativus*, nempe virtutes infusae, ut sunt tres virtutes theologicae, quatuor virtutes cardinale et septem dona Spiritus Sancti. Atqui tam gratia habitualis quam etiam omnes istae virtutes infusae augentur de facto vel saltem capaces sunt

augmenti. Ergo habitus per se infusi vel supernaturales de facto augentur.

Minor, ubi unice potest esse difficultas, breviter probatur per partes, nam speciali modo et ex professo de hac re loqui pertinet ad singulos tractatus de gratia et de virtutibus istis.

474. a) *Habitus entitativus supernaturalis, nempe gratia habitualis augetur*. Nam gratia haec inaequalis est *cum primo accipitur* in diversis hominibus, itemque in uno eodemque homine secundum diversa tempora. Nam Concilium Tridentinum docet expresse quod causa formalis iustificationis nostrae est «iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, *iustitiam in nobis recicpientes* unusquisque *suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus* partitur singulis prout vult [1], et *secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem*» [2].

Similiter, *post acceptam primo gratiam*, haec crescit aut crescere potest *apud unumquemque*. Unde idem Concilium: «Si quis —inquit— dixerit *iustitiam acceptam* non conservari atque *etiam augeri* coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem *ipsius augendae* causam, a. s.» [3].

«Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse Dei dona ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, *non vere mereri augmentum gratiae*, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia

---

[1] *I Cor.* 12, 11.
[2] Concilium Tridentinum, ses. 6, cap. 7, Denz. 799.
[3] *Ibidem*, can. 24, Denz. 834.

decesserit, consecutionem, *atque etiam gloriae augmentum, a. s.»* [1].

Item, certum est et definitum sacramenta Novae Legis causare gratiam ex opere operato non ponentibus obicem [2]. Constat etiam quaedam esse sacramenta *vivorum,* idest quae postulant statum gratiae ante eorum susceptionem, ut confirmatio, ordo, matrimonium, extrema-unctio, et maxime eucharistia, ut idem Concilium docet et definit [3]. Quia ergo eucharistia supponit gratiam praeexistentem, causat gratiam ex opere operato, non primo eam generando, ergo eam roborando et augendo et confirmando.

Unde et Ecclesia damnavit sequentem propositionem beguardorum et beguinarum: «Homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis et *amplius in gratia proficere non valebit;* nam, ut dicunt, si quis semper posset *proficere,* posset aliquis Christo *perfectior* inveniri» [4].

475. b) *Habitus operativus supernaturalis augetur etiam.*

1) *Quoad virtutes theologales* Concilium Tridentinum docet: «Sic ergo iustificati et amici Dei ac domistici [5] facti, *euntes de virtute in virtutem* [6], *renovantur,* ut ait Apostolus, *de die in diem* [7], hoc est, mortificando membra carnis [8] suae, et exhibendo ea arma iustitiae [9] in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, *crescunt atque magis iustificantur,* sicut

1 *Ibidem,* can. 32, Denz. 842.
2 *Ibidem,* ses. 7, can. 8, Denz. 851.
3 *Ibidem,* ses. 13, cap. 7, Denz. 880, et can. 11, Denz. 893.
4 CONCILIUM VIENNENSE, Denz. 471.
5 *Ioan.* 15, 15; *Ephes.* 2, 19.
6 *Psalm.* 83, 8.
7 *II Cor.* 4, 16.
8 *Col.* 3, 5.
9 *Rom.* 6, 13, 19.

scriptum est: «qui iustus est, *iustificetur adhuc»* [1]; et iterum: «ne verearis *usque ad mortem* iustificari» [2]; et rursus: «videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum» [3]. *Hoc vero iustitiae incrementum* petit Sancta Ecclesia cum orat: «*Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum*» [4].

Item, eadem Ecclesia, in IV Dominica Adventus, Postcommunio, orat: «Sumptis mysteriis, quaesumus, Domine, ut cum frequentatione mysterii *crescat nostrae salutis effectus*».

Unde et Apostoli petebant a Christo: «Domine, *adauge nobis fidem*» [5]. Et Apostolus ad Romanos scribit: «Deus spei repleat vos gaudio et pace in credendo, *ut abundetis in spe* et virtute Spiritus Sancti» [6].

Item: «Hoc oro, ut *caritas* vestra magis ac magis *abundet* in scientia et in omni sensu» [7]. Ergo «veritatem facientes in caritate *crescamus* in illo *per omnia* qui est caput Christus» [8]. Et multa alia similia in Scripturis inveniuntur, de quibus in II-II, 24, 4.

2) *Quoad dona Spiritus Sancti* haec docet Leo XIII, in Encyclica «Divinum illud munus»: «In his autem muneribus sunt arcanae illae admonitiones, invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus idemtidem in mentibus animisque excitantur, quae, si desint, neque *initium* viae bonae habetur, neque *propensiones,* neque *exitus* salutis aeternae... Hoc amplius homini *iusto* vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tanquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim bene-

1 *Apoc.* 22, 11.
2 *Eccli.* 18, 22.
3 *Iacob.* 2, 24.
4 *Dom. 13 post Pentec.* Cf. CONCILIUM TRIDENTINUM, ses. 6, cap. 10, Denz. 803.
5 *Luc.* 17, 5.
6 *Rom.* 15, 13.
7 *Phil.* 1, 9.
8 *Ephes.* 4, 15.

ficio instruitur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsionie facilius promptiusque obsequatur; haec propterea *dona tantae sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctitatis adducant*, tantaeque excellentiae ut in coelesti regno *eadem, quamquam perfectius* perseverent»[1].

3) *Quoad virtutes tum theologicas tum cardinales* constat aequipollenter ex modo agendi Romanae Curiae in causis beatificationis et canonizationis confessorum, in quibus discuti debet dubium: «an constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate tum in Dum tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, earumque adnexis *in gradu heroico* in casu et ad effectum de quo agitur»[2]. Constat ergo plures dari gradus in omnibus et singulis his virtutibus.

B. *De ratione huius facti*

476. Hoc autem dato, videre oportet utrum istud augmentum afficiat ipsam essentiam habituum supernaturalium, sicilicet utrum habitus isti intrinsece supernaturales augeantur essentialiter et intrinsece, an solum accidentaliter et quasi extensive.

477. CONCLUSIO: *Habitus intrinsece supernaturales augentur essentialiter.*

478. *Probatur.* Habitus intrinsece supernaturales aut sunt entitativi, ut gratia sanctificans, aut operativi, ut virtutes infusae. Atqui utrique habitus augentur essentialiter. Ergo habitus intrinsece supernaturales augentur essentialiter.

Minor, ubi unice stat difficultas, ostenditur per partes:

---

[1] Leo XIII, *Encyclica "Divinum illud munus"*, apud Cavalera, Thesaurus, n. 549.
[2] C. I. C., can. 2104.

479. a) *Habitus supernaturalis entitativus, nempe gratia sanctificans augetur essentialiter.* Forma accidentalis, quae augetur *secundum inhaesionem proprio subiecto*, augetur essentialiter. Atqui gratia sanctificans est forma accidentalis, quae augetur *secundum inhaesionem proprio* subiecto. Ergo gratia sanctificans augetur essentialiter.

Maior patet, quia *inhaerentia* est essentialis formae accidentali, cum accidens definiatur: res cuius quidditati debetur esse in aliquo. Quod ergo augetur in inhaerendo augetur in aliquo ei essentiali, ideoque et essentialiter augetur.

Minor vero constat *quoad utramque partem*, quia manifeste gratia est forma *accidentalis*, et quidem *inhaerens animae*, ut ait Concilium Tridentinum[1]: quod autem augeatur *in inhaerendo* apparet, *tum* ex maiori vel minori praeparatione ad eam recipiendam, *tum* ex maiori vel minori cooperatione ad novas gratias actuales, *tum* praecipue ex maiori vel minori amore quo Deus nos diligit et ita ad maiorem vel minorem sanctitatem et gloriam nos appellat. Pro maiori ergo vel minori participatione divinae naturae in animabus nostris, est maior vel minor perfectio gratiae, quae eadem est apud omnes secundum speciem[2].

Dein, in formulis Tridentini dicitur simpliciter et absolute quod *iustitia accepta* augetur, et constat quod loquitur de ipsa essentia iustitiae, quia loquitur de causa *formali* iustificationis[3]. Oportet ergo de ipsa essentia intelligere augmentum, quod non esset verum si ipsa gratia non augeretur essentialiter vel secundum essentiam suam.

480. b) *Habitus supernaturales operativi augentur essentialiter.* Virtutes infusae —quae sunt habitus super-

---

[1] Concilium Tridentinum, ses. 6, cap. 7, Denz. 800.
[2] Cf. S. Thomam, I-II, 112, 4.
[3] Concilium Tridentinum, ses. 6, cap. 7, Denz. 799.

naturales operarivi— sunt in triplici differentia, nempe: 1) virtutes *theologicae*, quae habent pro obiecto proprio ipsum Deum; 2) virtutes *morales*, quae pro obiecto immediato habent aliquid creatum; 3) dona Spiritus Sancti, quae etiam immediate versantur circa aliquid creatum, sub altiori tamen mensura quam sit mensura virtutum moralium. Atqui tria ista genera habituum supernaturalium infusorum augenter essentialiter.

Ratio generalis est quia se habent sicut ipsa gratia sanctificans quoad fieri, esse, augeri, minui et corrumpi seu amitti, ac si essent veluti membra totius viventis supernaturalis. Sed adest *ratio specialis* de singulis:

1) Et quidem *virtutes theologicae* augentur, saltem, ex parte *inhaerentiae* in proprio *subiecto*, quia sunt formae accidentales, quae non dant speciem suo subiecto, ideoque possunt magis et minus fortiter ei inhaerere.

Ex parte etiam *obiecti* seu per relationem ad obiectum et finem seu terminum a quo specificantur, quandam etiam latitudinem admittunt, quatenus in fide et spe obiectum illud est *essentialiter absens seu distans*, et consequenter locus adest latitudini cuidam in modo se ferendi et uniendi tali obiecto; in caritate autem, licet modo absoluto ad obiectum feratur, tamen *in statu viae absentiam eius patitur*, et consequenter adest etiam locus latitudini. Ex utraque ergo parte adest locus augmento et diminutioni in virtutibus theologicis.

Sed de hac latitudine ex parte obiecti extensiva et intensiva redidit sermo articulo sequenti.

2) Clarius hoc apparet *in virtutibus moralibus infusis*. Nam istae non solum augentur ex parte *subiecti*, quatenus plus minusve fortiter ei inhaerent, sed etiam ex parte proprii *obiecti formalis*, quod consistit *in medio rationis* prudentialis supernaturalis, et hoc medium non stat in puncto mathematico et indivisibili, sed latitudinem quamdam essentialiter admittit. Quia ergo essentialiter convenit istis virtutibus esse in subiecto per modum inhaerentiae et ordinari ad medium rationis, augmentum quod ex utraque parte eis convenit est essentiale, ideoque et ipsae essentialiter augentur.

3) Et idem dicendum est *de donis Spiritus Sancti*, quae ex parte *inhaerentiae* in subiecto augentur sicut ceteri habitus; et ex parte *obiecti* similiter latitudinem quandam admittunt, quia ratio obiecti eorum non stat in puncto indivisibili, sed medium consistit inter rationem obiecti virtutum theologicarum et virtutum moralium.

Praeterea, sicut pro gratia dictum est, documenta Ecclesiae eodem iure tribuunt augmentum istis habitibus operativis sicut et ipsi gratiae sanctificanti. Atqui gratiae sanctificanti tribuit augmentum essentiale vel secundum essentiam, ut paulo supra ostensum est. Ergo et similiter istis virtutibus.

Denique, idem proportionaliter dicendum est de augmento supernaturali habituum supernaturalium sicut dicitur de augmento naturali habituum naturalium. Atqui augmentum naturale habituum naturalium convenit eis secundum essentiam suam. Ergo et augmentum supernaturale habituum supernaturalium convenit habitibus supernaturalibus secundum suam essentiam.

Maior constat ex analogia inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, maxime quantum ad leges psychologicas utriusque ordinis.

Minor vero patet ex dictis supra, nempe quod augmentum convenit essentialiter habitibus acquisitis.

Sicut ergo in homine vita intellectualis et moralis subiicitur evolutioni et progressui eo fere modo sicut vita eius physica seu organica, ita etiam vita supernaturalis gratiae et virtutum et donorum in homine subiicitur evolutioni et progressui sicut vita eius naturalis; et propter hoc datur ei longum tempus vitae ut has diversas vitas evolvat iuxta conditiones propriae naturae.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

481. *Obiectio prima*: Quod est proprium unius praedicamenti nequit alii praedicamento convenire. Atqui augmentum est proprium praedicamenti quantitatis, quia quantitas ponitur in definitione augmenti, quod est motus secundum quantitatem scilicet a minori ad maiorem quantitatem; qualitas autem, ad quam pertinet habitus, est aliud praedicamentum a quantitate. Ergo augmentum nequit convenire habitibus, sicut neque qualitati. Aliis verbis: quod est proprium quantitati nequit convenire qualitati. Atqui augmentum est proprium quantitati. Ergo augmentum nequit convenire qualitati, ideoque neque habitibus, qui sunt in praedicamento qualitatis.

482. *Respondetur*: *Distinguo maiorem*: Quod est proprium unius praedicamenti nequit convenire alii praedicamento, univoce vel secundum eamdem omnino rationem et modum, *concedo*; nequit convenire analogice, idest secundum aliam rationem et modum proportionalem, nego.

Concedo min. et contradistinguo conclusionem: augmentum nequit convenire qualitati et habitibus univoce sicut convenit quantitati, *concedo*; analogice et proportionaliter, *nego*. Solutio patet ex dictis in introductione ad hanc quaestionem, neque est necesse acta iterum agere.

483. *Obiectio secunda*: Quod est essentialiter finis et terminus non est susceptivum augmenti et decrementi. Atqui habitus est essentialiter finis et terminus, quia habitus est essentialiter perfectio quaedam cum sit forma et actus, et perfectio habet rationem finis et termini. Ergo habitus non est susceptivus augmenti et decrementi.

484. *Respondetur*: *Distinguo mai.*: Quod est essentialiter finis et terminus non est susceptivum augmenti et decrementi, finis et terminus *simpliciter et absolute*, *concedo*; finis et terminus *secundum quid et relative*, *nego*.

Contradistinguo min.: Habitus est essentialiter finis et terminus *secundum quid et relativus*, *concedo*; *simpliciter et absolute*, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Habitus est quidem essentialiter perfectio quaedam et finis seu terminus, cum sit forma quaedam et actus; at non est finis aut terminus simpliciter, quia non est forma *substantialis* quae dat esse primum et simpliciter, sed secundum quid, quia dat esse accidentale. *Similiter* habitus est actus quidam, sed non absolutus, quia *non est ultimus, qui est ipse finis*, sed intermedius, nempe *actus primus*, qui medius est inter nudam potentiam et actum secundum seu ultimum, ut dictum est quaestione 49, articulo tertio. Si ergo habitus esset forma quaedam substantialis et absoluta, valeret argumentum; at non est ita, quia e converso, est forma accidentalis et relativa ut ex dictis patet [1].

485. *Obiectio tertia*: Si daretur augmentum in habitibus, potius quam motus augmenti deberet dici motus alterationis, quia motus circa qualitatem dicitur alteratio. Atqui circa habitus non datur alteratio, quia habitus sunt in prima specie qualitatis, dum motus alterationis est solum ad tertiam speciem qualitatis, quae est passio et patibilis qualitas. Ergo in habitibus non datur augmentum, sicut neque alteratio.

486. *Respondetur*. *Distinguo mai.*: Deberet dici alteratio, proprie et univoce, *nego*; reductive et analogice, *subdistinguo*: secundum rigorem philosophicum, *transeat*; secundum usum communem loquendi, *nego*.

---

[1] S. Thomas, *In X Ethic.*, lect. 3, nn. 1983, 1984, 1987, 1988.

Distinguo min.: Circa habitus non datur alteratio, proprie et per se, *concedo*; ex consequenti et per accidens, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam.*

Solutio patet ex dictis in introductione ad quaestionem. Non est ergo proprie loquendo oppositio inter motum alterationis et motum augmenti nisi quando uterque motus sumitur proprie et in proprio genere; quando vero sumuntur analogice, tunc fieri potest transitus a genere ad genus modo suo.

Si quis autem vellet hunc motum appellare alterationis, sumpto genere pro specie, nihil impedit, dum tamen quoad rem idem dicat. Unde ipse S. Thomas alibi scripsit: «Augmentum secundum quantitatem virtutis non pertinet ad speciem motus quae augmentum dicitur, sed *magis ad alterationem*, et hoc modo augetur caritas et aliae qualitates» [1]. Et alio in loco: «Motus augmenti caritatis *reducitur ad alterationem*, non secundum quod alteratio est inter contraria prout est tantum in sensibilibus (=qualitatibus quae sunt tertiae speciei), sed prout alteratio et passio dicitur secundum receptionem (=passio) et *perfectionem* (=alteratio), sicut sentire et intelligere est quoddam pati et *alterari*; et sic distinguit Philosophus *alterationem* et passionem in II de Anima» [1].

Art. 2.-Utrum habitus augeatur per additionem

487. Data exsistentia reali motus augmenti secundum essentiam in habitibus, necesse est modo considerare *naturam* propriam huius augmenti, scilicet quomodo fiat et quomodo sit intelligendum.

---

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 1, corp. Cf. etiam *ibidem* ad 5, ubi similia dicit ac ea quae respondet in hoc loco.

[2] *De virtutibus in communi*, a. 11 ad 11. Cf. *In II De anima*, lect. 11, nn. 365-372.

Qua in re est *triplex positio* fundamentalis: duae extremae et alia quasi media vel quae media esse vult.

488. Una ergo positio *extrema* est quae ait habitus tam naturales quam supernaturales augeri *per additionem* sive *habitus ad habitum* —ut quidam dicunt—, sive *gradus habitus ad gradum habitus priorem* —ut alii putant—; et quidem sive intelligantur illi gradus *homogenei* —ut nonnulli exsistimant—, sive intelligantur *heterogenei* —ut alii asserunt—: his enim omnibus modis exponitur a diversis istud augementum per additionem.

Iste ergo modus augmenti est sicut *modus augmenti quantitatis mathematicae* sive continuae sive discretae, qui quidem fit per additonem unitatis ad unitatem (in quantitate discreta seu numero), sive per additionem palmi ad palmum (in quantiate continua seu magnitudinis); cui opponitur diminutio, quae fit per *subtractionem* unitatis ab unitate vel palmi a palmo. Unde et inter operationes mathematicas invenitur additio et subtractio.

Et hanc positionem tenent multi tam ex antiquis quam ex modernis, v. gr. S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, Petrus de Tarantasa (=B. Innocentius V), Scotus, Nominales et maior pars philosophorum et theologorum Societatis Iesu.

489. Alia positio *extrema* est quae asserit habitus omnes sive naturales sive supernaturales augeri *per intensionem tantum* seu maiorem radicationem et inhaesionem in subiecto, et non per additionem habitus ad habitum vel gradus ad gradum, et haec est positio S. Thomae et omnium thomistarum communiter.

490. Denique, tertia sententia, *quae vult esse quasi media*, affirmat habitus tam naturales quam supernaturales augeri *simul utroque modo*, scilicet per additionem gradus heterogenei ad gradus praecedentes, et per intensionem seu radicationem maiorem in subiecto. Ita Suarez cum quibusdam aliis ex Societate Iesu.

Ut autem ordinatim et distincte procedamus in hac re, oportet singillatim considerare essentiam augmenti tum habituum naturalium tum habituum supernaturalium.

§ I

De essentia augmenti habituum naturalium

491. Habitus naturales, ut ex dictis patet, sunt duplicis generis: alii sunt entitativi seu corporales, qui potius sunt dispositiones habituales, alii vero sunt operativi et plus minusve spirituales. De utroque genere quaerendum est quomodo augeantur.

A. *De essentia augmenti habituum entitativorum*

492. conclusio: *Habitus entitativi non augentur per additionem.*

493. *Probatur primo ostensive*: Habitus entitativi, ut sanitas et pulchritudo, possunt considerari dupliciter, scilicet in ordine *ad subiectum*, nempe ad corpus in quo sunt, et in ordine *ad terminum vel finem* ad quem sunt, nempe in ordine ad bene esse naturae. Atqui ex utraque parte datur quidem augmentum, at non per additionem. Ergo habitus entitativi non augentur per additionem.

Maior constat ex articulo praecedenti.

Minor vero ostenditur per partes.

a) Et primo quidem, *non augentur per additionem ex parte subiecti.* Subiectum quidem pulchritudinis et sanitatis est corpus animatum habens diversas partes seu organa. Attamen, quia tam sanitas quam pulchritudo habent rationem boni, et bonum dicitur ex integra causa, nempe non dicitur animal vere sanum si non sit sanum in omnibus et singulis membris; neque dicitur pulchrum vere et proprie nisi in omnibus et singulis partibus corporis debita proportio detur. Quantum vero ad contrarias dispositiones, malas scilicet, potest dari quaedam extensio, quatenus aegritudo afficiat plura vel pauciora membra, et similiter turpitudo. At haec minus adhuc habent de ratione habitus quam ipsae bonae dispositiones. Istae ergo dispositiones possunt *per accidens* extendi ex parte subiecti, quatenus plures partes corporis invadunt, et sic a quantitate corporis accipiunt et ipsae per accidens quantitatem. Haec tamen quasi additio quam suscipere valent istae dispositiones potius se habent per modum quantitatis physicae quam mathematicae.

b) *Neque etiam ex parte termini vel finis augentur per additionem*, quia terminus iste est ipsa natura corporis viventis, quae non suscipit additionem in ratione naturae. Et quamvis dentur diversae naturae viventes et diversae conditiones unius eiusdemque naturae specificae et individuae secundum considerationem sexus et aetatis, hoc solum indicat quod datur *quaedam latitudo in relatione vel ordine istarum dispositionum ad ipsam naturam*, secundum quam possunt plus minusve intendi et perfici.

494. *Probatur secundo indirecte et ad absurdum.* Si enim istud augmentum esset per additionem, hoc non posset intelligi nisi vel per additionem aut superpositionem corporis animalis ad corpus animalis, vel sanitatis et pulchritudinis ad sanitatem et pulchritudinem, vel gradus ad gradum. Atqui nihil horum dici potest. *Non primum*, quia corpus naturale animalis non multiplicatur, sed manet idem; *non secundum*, quia in animali non dantur plures sanitates aut pulchritudines superpositae; *non tertium*, quia gradus isti essent qualitativi et vitales, qui non sunt divisibiles, sed continui.

Dicamus ergo quod augmentum habituum entitativorum non fit per additionem proprie loquendo, licet *per accidens*, ratione scilicet corporis physici quantitativi in quo sunt possint aliquo modo suscipere quamdam maiorem vel minorem extensionem seu magnitudinem, prout

ad plures vel pauciores partes aut membra corporis extendi aliquo modo possunt.

At nefas est explicare ipsam essentiam istius augmenti per id quod est ei per accidens, relicto eo quod convenit ei per se, quod est vitalitas qualitativa simplex. Unde S. Thomas valde prudenter dixit: «In habitibus autem corporalibus *non multum videtur fieri* augmentum per additionem», quia solum habere possunt quandam resonantiam quasi per accidens huius augmenti.

495. *Per se* ergo et simpliciter et essentialiter isti habitus augentur per intensionem, sive in ordine ad proprium subiectum, in quo melius et fortius radicantur, sive in ordine ad terminum et finem cui perfectius aut minus perfecte accedunt; *per accidens* vero et secundum quid et ratione alterius, aliquo modo induere valent similitudinem quandam additionis ad modum quantitatis dimensivae seu magnitudinis.

Sicut etiam in augmento corporis viventis, maior quantitas corporis est quid accidentale et solum per modum disponentis aut consequentis; quod autem est per se et essentiale est maior vis et energia corporis viventis, quae ab anima principaliter pendet.

B. *De essentia augmenti habituum operativorum*

496. Habitus operativi in homine sunt duplicis categoriae: quidam enim subiectantur immediate in aliqua facultate vel potentia *organica*; quidam vero subiectantur in facultate *inorganica* vel *pure spirituali.*

Et in utroque casu habitus possunt esse duplicis generis, nempe *cognoscitivi*, si subiectantur in facultate quadam *cognoscitiva* sive *organica*, ut est habitus bene memorandi aut cogitandi vel imaginandi, sive *inorganica*, ut sunt habitus intellectuales speculativi vel practici; et *appetitivi seu morales*, si subiectantur in aliqua facultate *appetitiva*, sive *organica*, ut fortitudo, quae subiectatur in appetitu irascibili, et temperantia, quae subiectatur in appetitu concupiscibili; sive *inorganica*, sicut iustitia, quae subiectatur in appetitu rationali seu voluntate.

Quia igitur non est eadem ratio in diversis istis casibus, oportet singillatim eos considerare, ut videamus quomodo habitus in illis augeantur.

Quia enim augmentum est motus secundum quantitatem et additio est functio propria quantitatis mathematicae ac dein physicae, sicut aliquis habitus se habet ad corpus, ita se habebit ad quantitatem et ad modum augmenti ex additione.

a) *De essentia augmenti habituum operativorum organicorum*

497. Habitus operativi organici sunt qui immediate subiectantur in facultate seu potentia organica, et sunt duplicis generis, ut modo dictum est: quidam sunt *cognoscitivi*, nempe illi qui subiectantur in facultate aliqua *cognoscitiva organica*, scilicet in aliquo sensu interiori, ut sunt habitus vel potius dispositiones habituales bene memorandi, bene cogitandi et bene imaginandi; alii vero sunt *appetitivi seu morales*, qui scilicet subiectantur in appetitu sensitivo, ut sunt fortitudo et temperantia.

1) *De essentia augmenti in habitibus cognoscitivis organicis*

498. conclusio: *Habitus cognoscitivi organici augeri possunt intensive et extensive extrinsece.*

499. *Explicatur.* Ut ex dictis in quaestione 50 apparet, in his potentiis non sunt habitus proprie et stricte dicti, sed potius dispositiones aut quasi extensiones vel adnexiones habituum proprie intellectualium; tamen, de istis dispositionibus quasi habitualibus quaeritur quomodo augeantur.

Est autem notandum quod habitus dicitur per se primo in ordine ad naturam subiecti in quo est et ad finem proprium eius. Hic autem proprium subiectum sunt istae facultates organicae, quae dicuntur sensus interni; proprium autem finis est recta et expedita operatio circa proprium obiectum eorum ut rite subservire possint actibus et habitibus intellectus [1].

Iam vero constat quod *istae potentiae pendent intrinsece a corpore in esse et in agere*, licet habeant organa determinata et distincta et localizata, ut dicunt, certum est tamen quod quandoque —anormaliter— possunt limitationes quasdam suscipere, prouti apparet ex diversis laesionibus organicis, ex quibus resultat quod in toto vel etiam in parte istae functiones potentiarum impediuntur aut paralizantur aut debilitantur. Quia ergo quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, dicendum est praedictos habitus vel dispositiones pendere quoque intrinsece ab organis corporis. Et ex hac parte possunt aliqualiter magis et minus extendi aut restringi, per modum alicuius quasi additionis vel subtractionis in propria dispositione organica potentiarum.

Sic igitur isti habitus possunt augeri *ex parte subiecti* et *intensive* secundum maiorem inhaerentiam vel connaturalizationem, et secundum maiorem redundantiam vigoris propriae potentiae, quasi per possessionem magis fortem seu retentivam seu tenacitatem; etiamque *quasi extensive* secundum maiorem accessum ad habitum intellectus et directionem vel informationem eius, et negative per recessum ab abnormalitate aut laesione, per curationem vel mutationem proprii organi.

Ex parte autem obiecti vel termini seu finis possunt magis aut minus vivide et expedite proprium obiectum attingere atque etiam ad plura vel pauciora obiecta materialia extendi successive, et ex hac parte similitudo habetur cum augmento et intensivo et extensivo vel quasi per additionem actus ad actum et obiecti materialis ad obiectum materiale, eo fere modo quo in pellicula cinematographica additur vel minuitur imago repraesentativa. Augentur igitur ex parte *obiecti* et *intensive*, attingendo ipsum citius, clarius, distinctius, fidelius seu exactius; etiamque *quasi extensive*, ex parte obiecti pure materialis, ad plura sensibilia per plures actus repetitos.

---

[1] Cf. II-II, 167, 2.

Dicamus ergo quod per modum alicuius redundantiae, id quod per accidens se habebat per modum additionis in dispositionibus vel habitibus entitativis, transit aut resonantiam habet in vigore potentiarum organicarum et consequenter ipsorum habituum operativorum qui in eis subiectantur. Licet aliunde possint perfici industria propria, maxime per ordinem ad obiecta quasi materialia. Et in hoc sensu potest fieri educatio et cultura memoriae et imaginativae et cogitativae, et possunt addi nova et nova obiecta licet ordine quodam secundum leges associationis vel artis memorativae.

500. Huiusmodi ergo habitus se habet ad habitus intellectuales et *per modum dispositionis* ad meliores actus et habitus et usum habitus intellectualis, quasi ei praebendo materiam circa quam magis aptatam vel eandem modo magis apto; et *per modum redundantiae seu proprietatis*, ex habitu intellectuali cui subordinatur et subervit, quasi dispositio quaedam adnexa habitui, per modum cuiusdam partis quasi potentialis.

Sunt tamen minus augmentabiles quam dispositiones entitativae corporales, quia sunt essentialiter qualitates (non quantitates), vivae (non inanimatae seu mortuae), potentiae organicae, quae est animae per prius et radicaliter, corporis vero nonnisi per posterius et dependenter ab anima; sunt ergo magis incorporeae et recedentes a quantitate corporali quam dispositiones mere corporales entitativae. Dispositiones entitativae afficiunt potius organa potentiarum vegetativarum; dum operativae potius afficiunt organa potentiarum sensitivarum. Et inde

est quod quia potentiae sensitivae pendent aliqualiter a vegetativis, ideo et dispositiones istae operativae a dispositionibus entitativis.

2) *De essentia augmenti in habitibus appetitivis organicis*

501. conclusio: *Habitus appetitivi organici augeri possunt intensive et extensive pure materialiter.*

502. *Explicatur.* Isti habitus sunt virtus fortitudinis et temperantiae quae subiectantur immediate in appetitu irascibili et concupiscibili. Augeri etiam possunt dupliciter, nempe per ordinem ad proprium subiectum in quo sunt, et per ordinem ad proprium obiectum et finem ad quem sunt.

Ex parte subiecti se habent sicut cognoscitivi; ex parte vero obiecti se habent magis remote a corporeitate et materialitate.

Ex parte ergo subiecti augentur *intensive*, secundum maiorem aut minorem inhaerentiam vel connaturalizationem ad ipsum, sicut et ceterae formae accidentales; at insuper, per redundantiam quamdam subiecti in ipsos, suscipere possunt variationes provenientes ex diversa dispositione organica propriarum potentiarum, quae organis determinatis et localizatis utuntur. Quatenus ergo quantitas corporalis aliquo modo influere valet in potentias proprias et consequenter in ipsos habitus, aliqua resonantia additionis vel subtractionis in eis dari potest ex hac parte.

Ex parte vero obiecti distinguendum est: si enim agatur de obiecto *formali*, quod est *medium rationis* prudentialis in passionibus concupiscibilis et irascibilis, datur in eo aliqua latitudo, non tamen proprie per modum additionis vel subtractionis, sed potius *per modum accessus et recessus seu adaequationis et inadaequationis;* unde ex hac parte non augentur per additionem, sed per intensionem.

Aliunde tamen, quia *in hac inventione medii prudentiae utitur necessario sensibus internis*, specialiter cogitativa et memorativa, ideo variationes quae in dispositionibus sensuum internorum notavimus, resonantiam vel redundantiam quamdam habere possunt et debent in ipso medio rationis inveniendo et dictando.

Si vero agatur *de obiecto mere materiali* harum virtutum, quantum *ad speciem* suam, invariabile manet et de se ad omnia porrigitur; at quantum *ad individuationem* possunt variari et crescere in infinitum, aut etiam diminui, et in hoc sensu potest concedi similitudo quaedam additionis vel subtractionis, quae est augmentum extrinsecum et pure accidentale, ad similitudinem quantitatis discretae. Iam vero hic loquimur de natura augmenti essentialis seu formalis habituum, non augmenti mere accidentalis et materialis.

Fortitudo ergo et temperantia augentur, *proprie et formaliter, intensive tantum*, per ordinem ad proprium *subiectum quo*, ex maiori inhaesione seu inhaerentia ei ob maiorem *connaturalizationem* ad ipsum seu adaptationem ei, et tentionem seu *possessionem* ab ipso; et per ordinem ad *obiectum formale quo* et *quod*, ob maiorem et meliorem dependentiam et informationem a prudentia; et ad *obiectum materiale*, ob maiorem descensum formalis ad materiale et ascensum materialis ad formale.

Improprie vero et materialiter et extensive augentur fortitudo et temperantia per propagationem seu diffusionem earum ad diversa individua, quo multiplicantur numero habitus; et per meram multiplicationem actuum circa obiecta mere materialia, absque informatione et intensitate conscia.

Consequenter maior subordinatio et resolutio subiecti et obiecti fortitudinis et temperantiae ad subiectum et obiectum prudentiae secum fert fortiorem et intimiorem *connexionem informativam* earum cum et a prudentia.

Minus ergo additionis et remotior resonantia eius invenitur in augmento habituum organicorum appetitivo-

rum quam in augmento habituum organicorum cognoscitivorum, et multo minus adhuc quam in habitibus entitativis corporalibus. Et quia in his entitativis solum accidentaliter et mere per accidens poterat concedi quoddam augmentum per additionem, ut supra dictum est, concludere debemus in habitibus operativis organicis, maxime in appetitivis, non dari augmentum per additionem nisi per resonantiam quamdam metaphoricam. Itaque, simpliciter et vere loquendo, in istis habitibus non datur augmentum nisi per intensionem.

b) *De essentia augmenti in habitibus operativis inorganicis*

503. Habitus operativi inorganici sunt illi qui subiectantur immediate in aliqua facultate inorganica vel pure spirituali, nempe, in intellectu *possibili* et in voluntate seu appetitu *rationali.* Possumus ergo distribuere istos habitus in duas categorias, nempe in mere intellectuales et morales: mere autem intellectuales alii sunt *speculativi,* ut sapientia et scientia; alii vero sunt *speculativo-practici,* ut ars; *morales* autem sunt prudentia et iustitia.

1. *De essentia augmenti in habitibus mere intellectualibus*

504. Habitus pure intellectualis potest considerari dupliciter: uno modo, per ordinem ad proprium subiectum in quo est; alio modo, per ordinem ad obiectum proprium ad quod attigendum datur. Quaeritur ergo quomodo augeatur ex utraque parte vel sub hac duplici consideratione.

505. Conclusio prima: *Habitus pure intellectualis non augetur per additionem ex parte subiecti in quo est, sed solum per intensionem.*

506. *Probatur prima pars.* Augmentum habitus per additionem ex parte subiecti non est intelligibile nisi duobus modis: aut quia proprium subiectum habitus habet partes extra partes ideoque addi possunt ei novae et novae partes; aut quia ipse habitus habet partes aut gradus distinctos numerice saltem. Atqui neutro modo est possibile augmentum per additionem in habitibus pure intellectualibus.

Non quidem ex partibilitate proprii subiecti, quia proprium subiectum habitus pure intellectualis est intellectus possibilis, qui est facultas omnino simplex et impartibilis seu indivisibilis, sicut et ipsa anima rationalis; *neque ex partibilitate ipsius habitus intellectivi,* quia partes istae, ut possent addi partibus, debent prius intelligi veluti distinctae, saltem numerice; at istae partes vel gradus, dato quod absolute et abstracte essent possibiles, non sunt distinguibiles numerice inter se, eo quod accidentia sunt, quae non distinguuntur numerice sicut neque individuantur nisi ex proprio subiecto: immultiplicato ergo subiecto, nequeunt ipsae intelligi multiplicatae et distinctae. Ordo transcendentalis ad subiectum est unius rationis et immultiplicabilis.

Nullo ergo modo est possibile augmentum per additionem habitus ad habitus ex parte subiecti vel per comparationem ad subiectum.

507. *Probatur secunda pars.* Et inde constat alia pars, nempe quod augeatur per intensionem. Nam certum est istos habitus augeri secundum essentiam per comparationem ad subiectum seu ex parte inhaerentiae, ut constat ex dictis articulo praecedenti. Aliunde omne augmentum possibile aut intelligitur per modum additionis seu quantitatis discretae, aut per modum simplicis intensionis aut radicationis seu per modum quantitatis continuae in eadem directione; nec est possibile fingere alium modum.

Cum ergo constet non augeri per additionem, necessario sequitur eos augeri per simplicem intensitatem.

508. conclusio secunda: *Habitus pure intellectuales non augentur essentialiter vel secundum essentiam suam ex parte obiecti seu per ordinem ad obiectum, per additionem, sed solum per intensionem; accidentaliter tamen et secundario augeri possunt per modum cuiusdam additionis.*

Haec conclusio primo explicatur, deinde probatur.

509. *Explicatur.* Sicut quantitas virtutis seu transcendentalis dicitur analogice vel per similitudinem quamdam ad quantitatem praedicamentalem, ita et augmentum proprium quantitatis virtutis potest intelligi analogice ad augmentum proprium quantitatis dimensivae. Nunc autem quantitas haec est duplex: alia continua, alia discreta. Ergo augmentum eius potest intelligi fieri in quantitate continua vel in quantiate discreta, et consequenter augmentum in quantitate virtuali potest intelligi fieri per modum augmenti in quantitate continua vel per modum augmenti in quantitate discreta; et primus modus dicitur augmentum intensivum, aliud vero dicitur augmentum extensivum. Unde S. Thomas scribit: «Quantitas *virtutis* attenditur dupliciter, vel quantum ad *numerum obiectorum*, et hoc est per modum quantitatis *discretae*, vel quantum ad *intensitatem* actus *super idem obiectum*, et hoc est *sicut quantitas continua*» [1]. Sic ergo augmentum *intensivum* habitus cognoscitivi non solum est secundum maiorem *inhaesionem* in eodem subiecto indivisibili, sed etiam secundum maiorem *adhaerentiam et penetrationem* eiusdem obiecti; eo enim ipso quod magis actuat subiectum, magis etiam trahit illud ad obiectum. Unde iterum S. Thomas ait: «Quantitas scientiae non solum attenditur secundum *numerum* scibilium, sed

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 1 ad 2. Vide etiam *De Virtutibus in communi*, q. 1, art. 11 ad 10.

etiam secundum *claritatem* cognitionis» [1]. «*Extensio* sumitur in ordine ad aliquas partes vel *subiectivas* vel *obiectivas*, et diffusio per illas vocatur extensio. Et tunc sumitur in ordine ad partes *subiectivas* quando subiectum in quo recipitur forma non est indivisibile, sed habet partes per quas forma illa communicatur, sicut calor extenditur per partes sui subiecti. Tunc autem extensio sumitur per ordinem ad partes *obiectivas* quando sumitur in ordine ad plura materialia obiecta circa quae versatur aliqua virtus, et se habent quasi partes unius integri materialis obiecti, et sic virtus quae acquirit attingentiam ad diversa obiecta materialia, dicitur crescere in extensione, sicut scientia quando ab una demonstratione transit in aliam» [2].

Sed istud augmentum *extensivum* habitus cognoscitivi potest *dupliciter* dici: uno modo, augmentum extensivum mere *extrinsecum et accidentale*, sicut est multiplicatio obiectorum mere materialium et accidentalium; alio modo augmentum extensivum quodammodo *intrinsecum et essentiale*, si fiat quodammodo in obiecto formali aut *per se*. S. Thomas ipse suggerit istas distinctiones quando scribit: «Sicut dicitur quantum esse magnum pluribus dimensionibus, ita scientia dicitur esse magna ex diversis rationibus, tum propter *multitudinem* scitorum, tum propter *claritatem* cognitionis» [3]. «Sicut scientia dicitur esse infinita *extensione*, in quantum *infinita* cognoscit, ita *intensione* in quantum in infinitum *limpide* cognoscit» [4].

Comparando autem istos modos inter se, ait: «Scientiae quantitas quae attenditur *penes numerum scitorum* est ei *quasi per accidens et materialis*, et *praecipue* quando *in multis* scitis est *una ratio* sciendi (=augmentum mere materiale et accidentale seu extensivum extrinsecum); *secus* enim esset si *diversis rationibus* (=mediis)

[1] III, 10, 2 ad 3.
[2] Ioannes a S. Thoma, *In II-II*, disp. 15, art. 1, n. 1, p. 227.
[3] S. Thomas, *De Veritate*, 20, 4, obi. 10.
[4] *Ibidem*, obi. 14.

cognosceretur (numerus ille scitorum, quia tunc esset augmentum extensivum, sed intrinsecum et aliquo modo per se et essentiale). Sed illa quantitas, quae est *ex efficacia* cognitionis (=intensiva), scientiae *per se* (=essentialiter) competit, quia quantitas talis attenditur *secundum exitum operationis intellectualis ab intellectuali virtute*» [1].

Et iterum: «Quantitas —inquit— *extensionis*, ut ex dictis patet, est scientiae *accidentalis*; quantitas autem *intensiva* est ei *essentialis*, ut ex dictis patet» [2].

510. *Probatur prima pars.* Habitus intellectualis respicit essentialiter obiectum formale *quo* et *quod* eius, quod est unum et unicum. Atqui augmentum habitus circa unum idemque obiectum est intensivum tantum et nullo modo extensivum. Ergo respectu obiecti formalis *quo* et *quod* habitus intellectualis non augetur nisi intensive et nullo modo extensive vel per quamdam additionem. Quia igitur augmentum essentiale debet esse circa obiectum formale seu essentiale a quo specificatur, inde est quod respectu obiecti formalis, hoc solum modo augeri possit habitus.

511. *Probatur secunda pars.* E contra vero, obiecta per accidens et mere materialia possunt multiplicari et extendi sine fine intra eamdem speciem habitus intellectivi, et hoc modo accidentali potest addi scientiae nova et nova materia.

Huiusmodi obiectum *materiale seu pure terminativum* aliud est *per se*, scilicet *proprietates* seu accidentia propria demonstrabilia propter quid, idest per prius intensive secundum accessum ad formale, et per posterius extensive *secundum diffusionem virtutis obiecti formalis ad plura media pro una conclusione* seu proprietate cognoscenda, non disparata neque mere iuxtaposita, sed

---

[1] *Ibidem*, art. 10.
[2] *Ibidem* ad 14.

coordinata et subordinata secundum ordinem causarum seu principiorum e quibus sumuntur, constituentia unam solam rationem totalem et adaequatam; vel *ad plura media pro pluribus* conclusionibus seu proprietatibus demonstrandis, sive *in eodem genere scibili*, non mere disparata nec mere iuxtaposita, sed per se ordinata vel subordinata, sive *obiective* seu ex parte scibilis (proprietates ordinatae), sive subiective seu ex parte scientiae; sive agatur de *ordine inventionis* seu descensus vel conclusionis, sive agatur de *ordine iudicii* seu ascensus vel resolutionis; sive *in diverso genere scibili*, quod potest esse *disparatum*, et tunc erit augmentum mere extensivum per multiplicationem, vel *connexum*, et tunc erit augmentum intensivum syntheticum; vel *subordinatum vel potius subalternatum*, et tunc erit augentum intensivum analyticum.

Aliud vero obiectum materiale est *per accidens*, scilicet pura accidentia scibilia *quia* tantum et *a posteriori*, quae fundant meram extensionem ad plura numero obiecta materialia, non proprie scita, sed experta.

512. Datis ergo explicationibus propositis, conclusio est fere per se nota.

Ut autem eam melius adhuc intelligas, considerandum est quod obiectum scientiae est duplex: unum formale et per se, aliud materiale et per accidens. Formale autem est duplex: aliud formale *quo*, nempe gradus abstractionis, qui invariabilis est in unaquaque scientia; aliud formale *quod*; sed istud rursus potest esse aut *principale* seu primarium sive per se primo, et est etiam unicum in una scientia, neque additionem ullam patitur; aut *secundarium* vel per se secundo, nempe propriae passiones seu attributa eius, et ista multiplicari possunt, ordine tamen quodam et per se.

Aliis verbis: Obiectum scientiae potest esse aut per se et necessarium, aut per accidens et contingens. *Per se autem* potest esse aut *per se primo*, quando est *de*

essentia eius et intrat definitionem scientiae, et hoc est obiectum formale *quo* et *quod*; aut *per se secundo*, quando non est de ipsa essentia vel definitione, sed tamen necessario convenit obiecto formali *quod*, et huiusmodi sunt proprietates vel passiones essentiae subiecti, demonstrabiles de illo.

Per accidens vero et mere materiale sunt ea omnia quae contingenter conveniunt subiecto et de illo non sunt demonstrabilia, quia possunt adesse vel abesse salva eius essentia.

Augmentum extensivum nequit dari quantum ad obiectum per se primo seu formale, sed quantum ad per se secundo, quod quodammodo extendit virtualitatem essentiae et definitionis eius seu medii cognoscendi, et hoc est quodammodo essentiale seu per se. Ad per accidens vero potest dari et mere extensivum est.

Sic ergo additio nulla fieri potest ex parte obiecti formalis *quo* et *quod* primarii seu per se primo; at ex parte obiecti quasi formalis *quod* secundarii seu per se secundo, dari potest quaedam additio seu multiplicatio, semper tamen cum ordine necessario dependentiae a primario et ab obiecto *quo*. Denique, ex parte obiecti per accidens et mere materialis, potest dari additio sine fine et absque ullo ordine per se. Potest ergo scientia augeri per quamdam quasi additionem per accidens ex parte obiecti materialis; ex parte vero obiecti quasi formalis *quod* secundarii potest quoque aliquam quasi additionem suscipere, quae potius est quasi dilatatio vel prolongatio eiusdem obiecti formalis *quod* primarii et luminis sub quo, et ideo dicitur lumen illativum vel discursivum. At ex parte obiecti mere formalis, nulla additio est possibilis.

Potest ergo dari multiplicatio medii aut dilatatio eiusdem ad plures conclusiones ordinatas, at hoc semper fit intra eamdem rationem formalem *qua* seu gradum abstractionis et intra eamdem rationem formalem *quae* primariam, quae est forma proprii obiecti ut res est, hoc est definitio eius. Neque enim obiectum formale *quo* et

quod scientiae demonstratur, sed definitur; demonstrantur autem proprietates seu attributa subiecti sub lumine *quo* subiectum ipsum fuit definitum seu apprehensum. Eo igitur ipso quod medium istud formale in his habitibus intellectualibus est essentialiter illativum seu discursivum, de ratione sua importat motum quemdam et quasi extensionem vel dilatationem eiusdem sub eadem directione et impulsu. Quemadmodum enim in demonstratione proprietatum ab essentia datur ordo quidam necessarius prioris et posterioris, ita et in demonstratione per media propria correspondentia, quia lumen principiorum non est natum descendere ad posteriores conclusiones nisi per priores. Unde bene Ioannes a S. Toma scribit: «Diversa media, quae requiruntur ad distinctas conclusiones, influunt in illas *ut coordinata inter se et affecta ab eadem ratione scibili*; *ergo, ratione talis coordinationis et unitatis motivi*, constituunt *unum* habitum seu formam, quae sub illa ratione formali una sit et inclinet ad omnes conclusiones et ad omnia media sic coordinata» [1]. Schematice ergo:

513. PROGRESSUS SEU AUGMENTUM SCIENTIAE, idest cognitionis rerum per causas seu conclusionis per demonstrationem, potest esse:

I) *Intensivus*:
- A) *plurium* mediorum seu rationum *pro una* conclusione seu veritate:
  - a) non mere multiplicata seu disparata, sed
  - b) coordinata vel potius subordinata:
    - 1) ex *propriis*:
      - α) *causis*: a priori, secundum subordinationem in causando et cognoscendo;

---

[1] Ioannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 27, art. 2 ad confirmationem primae difficultatis, t. I, p. 741b. Cf. etiam *Cursus Theologicus*, in I-II, disp. 13, art. 5, n. 32, 36, 39, pp. 58-60.

β) *effectibus*; vel signis: a posteriori secundum subordinationem in cognoscendo.

2) ex *similibus*: analogice.

B) *plurium* mediorum seu rationum *pro pluribus* conclusionibus:

a) *eiusdem* scientiae: subordinatio per se iuxta ordinem subordinationis proprietatum seu attributorum scibilium, v. gr. potentiarum animae.

b) *diversae* scientiae:

1) *subalternatae*: subordinatio per se sicut in eadem scientia et resolutio subalternatae usque ad subalternantem.

2) *non subalternatae sed mere subordinatae*: coordinatio per se generum scibilium secundum tres gradus abstractionis formalis sub Sapientia seu Metaphysica, quae est quasi earum forma.

II) *Extensivus*:

A) *metaphoricus*: ex parte subiecti *quod*=extensio vel diffusio ad plures homines: propagatio vel vulgarizatio. Multiplicatio *mere materialis* seu numerica intra eamdem speciem.

B) *mere accidentalis*: ex parte obiecti materialis per accidens: extensio ad plura obiecta mere non cognoscibilia per causas, sed solum singulariter ex experientia et non universaliter; et sic vel pertinent ad Sophisticam vel ad sensum qui singularium tantum est.

2. *De essentia augmenti in habitibus moralibus*

514. Habitus morales qui subiectantur in potentiis inorganicis sunt duo, nempe prudentia, quae subiectatur in ratione practica; et iustitia quae subiectatur in voluntate. Et licet in aliis differant, tamen quantum ad modum augmenti conveniunt.

Earum vero augmentum considerari potest: per ordinem ad proprium subiectum *quo*; et per ordinem ad proprium obiectum seu materiam.

515. CONCLUSIO PRIMA: *Habitus morales relate ad proprium subiectum quo non possunt augeri per additionem, sed per solam intensionem.*

516. *Probatur. Non per additionem* aut extensive, quia subiectum eorum —intellectus possibilis practicus et voluntas— sunt omnino simplices et indivisibiles.

Per solam intensionem: Quod convenit essentialiter formae accidentali, ut accidentalis est, convenit etiam habitibus moralibus, qui sunt quaedam formae accidentales. Atqui omni formae accidentali ut accidentalis est, convenit augmentum et diminutio seu intensio et remissio per ordinem ad proprium subiectum. Ergo habitibus moralibus convenit essentialiter augmentum intensivum per ordinem ad proprium subiectum.

Maior constat ex illo principio: quod convenit omni, convenit singulis sub eo contentis.

Minor ostensa est articulo praecedenti, ubi probatum est inhaerentiam accidentium non stare in indivisibili, sed suscipere magis et minus. Quod quidem adeo verum et evidens est, ut S. Thomas hoc affirmet de ipsa quantitate, quae est primum accidens corporis et quasi quaedam substantia [1].

517. CONCLUSIO SECUNDA: *Habitus morales relate ad proprium obiectum, quod est medium rationis in propria materia primo et per se augeri possunt intensive tantum; at per se secundo admittunt augmentum quasi extensivum, minus tamen accedens ad extensionem quam augmentum virtutum pure intellectualium; accidentaliter*

---

[1] S. THOMAS, II-II, 24, 5 ad 1.

autem et mere materialiter augentur extensive extrinsece et per quandam quasi additionem.

518. *Probatur prima pars.* Medium rationis, quod est formale obiectum virtutum moralium, non stat obiective in puncto mathematico et indivisibili, ut dicebant stoici, neque attingentia eius ex parte actus consistit in indivisibili, sed latitudinem quamdam suscipit. Atqui ubi terminus non est indivisibilis neque via ad illum in indivisibili consistit, admittitur magis et minus essentialiter seu augmentum et diminutio. Ergo in virtutibus moralibus, per ordinem ad proprium et formale obiectum earum, admittendum est augmentum intensivum essentiale.

Maior est clara et expresse docetur a S. Thoma quoad utramque partem, scilicet: a) *quod medium rationis secundum se et obiective non stat in indivisibili,* dum ait: «Non enim exigitur ad rationem virtutis quod attingat rectae rationis medium in indivisibili, sicut stoici putabant, sed sufficit prope medium esse, ut in II Ethic. dicitur» [1]; «ratio virtutis non consistit in indivisibili secundum se... (quia) ipsum medium (rationis quod est eius formale obiectum) non est omnino indivisibile, habet enim aliquam latitudinem, sufficit enim ad virtutem quod appropinquet ad medium, ut dicitur in II Ethic.» [2].

b) *Via etiam ad istud medium, etiam si ponatur in suo ultimo et summo non stat in indivisibili,* «quia ad attingendum medium virtutis, quod est secundum rationem rectam, unus est melius dispositus quam alius (vel etiam seipso secundum diversa tempora), vel propter maiorem assuetudinem, vel propter perspicacius iudicium rationis» [3], et sic «idem etiam indivisibile signum unus propinquius et promptius attingit quam alius, sicut etiam patet in sagittatoribus trahentibus ad certum signum» [4].

---

1 I-II, 66, 1.
2 *De Virtutibus in communi,* q. 1, art. 11 ad 16.
3 I-II, 66, 1.
4 *Ibidem.*

Alibi autem clarius ait quod medium istud est indivisibile relative, non absolute, et ideo latitudinem quamdam per se admittit. «Cum medium —inquit— virtutis sit medium rationis, accipienda est indivisibilitas huius medii secundum rationem; accipitur autem indivisibile secundum rationem quod imperceptibilem distantiam habet, et quod errorem facere non potest, sicut totum corpus terrae accipitur loco puncti indivisibilis per comparationem ad totum coelum, et ideo medium virtutis aliquam latitudinem habet» [1]. Unde, «licet medium in quo consistit virtus sit quodammodo indivisibile, tamen virtus intendi et remitti potest secundum quod homo magis vel minus disponitur ad attingendum indivisibile, sicut et arcus minus vel magis extenditur ad percutiendum signum indivisibile» [2].

Et quamvis istud medium rationis variabile sit in infinitum secundum diversas circumstantias temporis et loci et personarum et aetatum, attamen *non videtur quod proprie multiplicetur sicut multiplicatur medium illativum ad diversas conclusiones inferendas in habitu scientiae.* Aliud enim est iudicium ethicum seu scientificum de medio virtutis, aliud est iudicium prudentiale seu virtutis de eodem medio, et consequenter attigentia eius electiva et executiva iustitiae et aliarum virtutum mere moralium. Nam illud est essentialiter discursivum et mediatum, hoc vero est quasi intuitivum et per modum naturae; insuper, illud est per modum abstractionis, hoc vero per modum concretionis; denique, ad essentiam habitus scientifici sat est habere unam conclusionem vere demonstratam; ad essentiam vero prudentiae et virtutum mere moralium requiruntur essentialiter plures actus quibus simul acquiritur et essentia virtutis et modus seu status habitualis. Quia ergo virtutes morales faciunt habentem simpliciter bonum, ideo de ratione sui se extendunt ad *totam* materiam secundum essentialem rectitu-

---

1 *De Virtutibus in communi,* q. 1, art. 13 ad 18.
2 *Ibidem,* ad 16.

dinem; quia vero virtutes intellectuales faciunt habentem secundum quid bonum tantum, consequenter non est necesse quod ad *totam* materiam propriam se extendant. «Quicumque autem —ait S. Thomas— habet aliquam virtutem, puta temperantiam, habet ipsam quantum ad *omnia* ad quae se temperantia extendit; quod *de scientia et arte non contingit*, non enim quicumque est grammaticus scit omnia quae ad grammaticam pertinent»[1]. Et alibi clarius addit: «*Hoc interest* inter scientiam et virtutem, quia de ratione *scientiae* non est quod se extendat in actum respectu *omnium* obiectorum; non enim est necesse quod sciens omnia scibilia cognoscat, sed de ratione *virtutis* est quod *in omnibus* virtuose agat; unde *scientia* potest augeri vel secundum *numerum* obiectorum *vel* secundum *intensionem* eius in subiecto; *virtus* autem *uno modo tantum*»[2].

Revera, istae virtutes morales non habent rationem virtutis nisi quatenus sunt in statu perfecto et essentialiter connexae et adunatae in prudentia; hoc autem postulat rectificationem appetitus et rationis practicae circa omnia humana agibilia, et non circa portionem quamdam tantum. Unde habetur facilitas intrinseca et quantum est de se ad inveniendum et dictandum et exequendum medium rationis in tota latitudine humanorum agibilium; quod quidem in virtutibus mere intellectualibus, quae sunt virtutes secundum quid tantum, non obtinet. Unde connexio quae non requiritur in scientiis requiritur in virtutibus moralibus, in quibus de cetero est inseparabilis essentia a modo habituali, et discursus in eis est potius secundum successionem tantum a singulari ad singulare.

Verumtamen, maxime notanda est instigatio quam S. Doctor ponit sententiae Stoicorum, quae tamen solum permittit latitudinem intensivam potius quam extensivam[3].

---

1 I-II, 66, 1. Cf. II-II, 24, 5.
2 *De Virtutibus in communi*, q. 1, art. 11 ad 10.
3 Cf. Caietanum, *In I-II*, 66, 1, n. 2; Conradum Koellin, *In I-II*, 66,

Nihilominus, fatendum est dari quamdam difficultatem in hac theoria, *propter istam latitudinem medii in seipso et in applicatione ad diversas materias secundum diversas circumstantias*. Et ideo crederim quod, attenta instigatione et restrictione quam ponit S. Thomas ad sententiam Stoicorum, potest et debet admitti in virtutibus quoddam *augmentum essentiale extensivum ad ista diversa media*, licet non in eodem gradu independentiae sicut in habitibus speculativis, quia ratio practica prudentialis *etiam est discursiva et illativa* in medio rationis inveniendo, licet ad hoc maxime iuvetur ex recta dispositione appetitus. Propter quod, ipse Ioannes a S. Thoma coactus est hoc aliquo modo concedere prudentiae et quidem quantum ad actum eius principalem, qui est dirigere et praecipere[1]. Quod si hoc conceditur prudentiae, cur ceteris virtutibus moralibus negandum est, non video, cum ceterae virtutes morales essentialiter pendeant a prudentia et medium seu obiectum proprium a prudentia accipiant. Unde non videtur posse negari omne augmentum extensivum intrinsecum vel essentiale in virtutibus moralibus.

519. *Probatur secunda pars* (de augmento extensivo accidentali). Haec pars experientia constat, nam actus individui et diversa obiecta materialia virtutum in infinitum addi et augeri possunt.

520. Si autem modo *synthetice* rem consideremus, apparet statim falsitas aliarum positionum et veritas positionis nostrae.

Augmentum enim *per additionem* est proprium *quantitatis dimensivae* mathematicae et fit ab extrinseco absque motu proprio eius quod augeri dicitur, dein vero, per similitudinem ad illud, dicitur de quantitate dimensiva physica non viventium; postmodum autem de quantita-

---

1; Ioannem S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 27, art. 2 in responsionibus ad difficultates, maxime autem in *Cursu Theologico*, in I-II, disp. 13, art. 5, n. 29 sqs.; Medinam, *In I-II*, 66, 1.
1 Ioannes a S. Thoma, *loc. cit.*, nn. 52-54.

te physica viventium, prout in quantitate vel corporeitate conveniunt. Semper tamen verum est quod quidquid hoc modo augeri dicitur est aliquod totum per accidens coalescens ex partibus vel fragmentis separabilibus et unitis solum secundum locum vel secundum volumen imaginabile, quod locum maiorem imaginatum occuparet.

Talem autem modum augmenti est *impossibile* ponere *in habitibus*: *Primo*, quidem, quia augmentum in habitibus est augmentum *vitale*, sicut et ipsi habitus vivi sunt et ad vitam pertinent, et ideo est verus motus augmenti *ab intrinseco* procedens et per proprium motum eius quod augeri dicitur; unde et quando ad terminum augmenti venit, totum quod resultat est totum vivum et per se. *Secundo*, quia ratio corporeitatis seu magnitudinis non convenit nisi habitibus vel dispositionibus entitativis, et quidem per accidens tantum, quia tales dispositiones dicuntur per se primo in ordine ad totum compositum et consequenter ad partes eius prout ad naturam totius pertinent; constat autem quod anima, utpote forma, per prius pertinet ad naturam quam corpus, quod est materia; unde et sublata anima, per mortem, omnes istae dispositiones seu habitus corporales disparent; omnino ergo per accidens concurrit hic ratio corporeitatis seu quantitatis, ideoque et ratio additionis quae corporeitati seu quantitati per se primo pertinet. *Tertio*, quia quanto magis ascendimus a categoria habitus operativi, quae homini convenit ratione animae, quae incorporea et spiritualis est, tanto magis recedimus ex una parte a corporeitate seu quantitate, ex alia vero magis accedimus ad possibilitatem et amplitudinem augmenti; quia habitus operativi, utpote recepti in potentiis operativis, respondent naturae potentiarum operativarum; quanto ergo potentiae operativae maioris sunt amplitudinis et universalitatis, tanto etiam maioris augmentabilitatis erunt habitus in eis recepti; patet autem quod potentiae spirituales, scilicet intellectus et

voluntas, sunt infinitae amplitudinis et capacitatis, unde et eodem iure habitus in eis recepti.

Apparet ergo quod *fundamentum et scala augmenti per additionem se habet ex adverso ad fundamentum et scalam habituum.* Ergo imposibile est quod habitibus proprie convenitat augmentum per additionem, quia augmentum debet respondere naturae rei augmentabilis; hic autem non solum non responderet, sed e diametro repugnaret.

Neque enim in augmento corporis viventis proprie additur quantitas quantitati, sed potius assimilatur alimentum et vis informativa animae se extendit ad illud informandum et vivificandum, eadem essentialiter perseverans; et similiter, in scientiis nova media et nova obiecta non proprie loquendo ab extra trahuntur, sed potius propria ratio obiecti formalis, quae est de ratione ipsius scientiae, pervadit et illuminat materiam illam quae prius quando nondum erat scita et assimilata videbatur extra, eo quod fragmentarie et imperfecte cognoscebatur. Scientia enim fit proprie loquendo per resolutionem ad principia, et ideo quando completur scientia et diversa media et diversae conclusiones ad prima principia resolvuntur, uno solo ictu et tractu extrema coniunguntur et ad unitatem reducuntur. In vita spiritus sive intellectuali sive morali, quanto maior et perfectior est scientia et virtus, tanto est magis una et minus divisa et divisibilis; e contra in augmento per additionem, quanto maior est addito, tanto maior est multiplicitas et varietas.

Habitus ergo ut habitus est repugnat essentialiter augmentum per additionem.

Denique, positio Suarezii est omnino explodenda, quia contraria simul iungit et attribuit secunum idem eidem subiecto. Constat autem quod contrariae propositiones possunt esse simul falsae, at nequeunt esse simul verae.

Dicamus ergo augmentum essentiale habituum naturalium esse solum per intensionem.

§ II

DE ESSENTIA AUGMENTI HABITUUM SUPERNATURALIUM

521. Consequenter videnda est essentia vel modus augmenti in habitibus supernaturalibus. Et primo quidem in habitu entitativo supernaturali, qui est gratia sanctificans; secundo in habitibus operativis supernaturalibus.

A. *De essentia augmenti habituum entitativorum*

522. In ordine supernaturali datur duplex habitus entitativus, scilicet habitus iustitiae originalis quam habebant primi parentes, et habitus gratiae sanctificantis, quae in hominibus post lapsum dicitur et est simul gratia sanans et elevans. Peccatum autem originale, licet sit etiam quidem habitus entitativus directe contrarius habitui iustitiae originali, iuxta I-II, 82, 1; tamen non potest dici habitus supernaturalis, quia malum potius habet rationem infranaturalis quam supernaturalis.

Disputant theologi —etiam thomistae— utrum iustitia originalis et gratia sanctificans sint species adaequate et specifice distinctae an vero gratia sanctificans sit essentialiter pars quaedam primordialis et formalis ipsius iustitiae originalis. Quidquid tamen de hoc dici posset —non enim spectat ad praesentem tractatum hoc problema discutere— attendimus ad quaestionem nostram:

523. conclusio prima: *Habitus iustitiae originalis ratione sui esset aequalis in omnibus; opere tamen personali posset augeri quantum ad id quod continebat gratiae sanctificantis, non tamen per additionem, sed solum per intensionem.*

524. *Probatur prima pars*; dupliciter, nempe primo ex suo contrario, quod est peccatum originale; secundo

ex propria indole eius, quae erat quasi proprietas quaedam naturae humanae.

a) *Ex consideratione sui contrarii, quod est peccatum originale.* Contraria, cum sint in eodem genere, easdem leges suo modo habent, in quantum huiusmodi. Atqui peccatum originale, in quantum huiusmodi, et vi originis, est aequale apud omnes descendentes ex Adamo et illud contrahentes, ut probat S. Thomas in I-II, q. 82, articulo 4. Ergo et iustitia originalis ei directe contraria, vi originis et naturae eius, debebat esse aequalis apud omnes homines.

Revera, cum peccatum originale sit privatio *totalis* iustitiae originalis, aequalitas eius provenit ex aequalitate privationis iustitiae originalis; haec autem aequalitas privationis non est intelligibilis nisi supposita aequalitate eius quod privat, nempe iustitiae ipsius originalis.

b) *Ex consideratione naturae, cuius iustitia originalis erat quasi proprietas.* Iustitia originalis, licet supernaturalis, erat tamen collata *toti* naturae humanae, *ratione et intuitu naturae, non vero personae ut sic*, et ideo erat ad modum cuiusdam *proprietatis* naturae humanae, v. gr. risibilitas aut disciplinabilitas. Atqui natura humana ut natura est aequalis apud omnes homines. Ergo et proprietas eius, ut risibilitas vel disciplinabilitas; et similiter quasi proprietas eius, ut iustitia ipsa originalis.

525. *Secunda pars* (ex operibus tamen personalibus differentibus in diversis hominibus, secundum diversas conditiones individuales, iustitia illa cum suis donis et virtutibus consequentibus, poterat esse maior in uno quam in alio, ideoque augeri secundum essentiam suam).

Haec doctrina est expressa S. Thomae, qui ait: «Secundum animam *diversitas* fuisset (inter homines in statu innocentiae vel iustitiae originalis), et quantum ad *iustitiam* et quantum ad *scientiam*. Non enim ex necessitate homo operaretur, sed per liberum arbitrium; ex

quo homo habet quod possit magis et minus animum applicare ad aliquid faciendum vel volendum vel cognoscendum. Unde *quidam magis profuissent in iustitia et scientia quam alii*»[1]. Nempe augeretur *directe* quantum ad explicationem eius per habitus operativos ex ea consequentes; et ex consequenti propria eius radix et essentia, quia non erat mera proprietas naturalis et necessaria ut naturales potentiae spirituales, sed *quasi proprietas* a Deo collata supernaturaliter una cum natura et intuitu naturae.

Et hoc idem concedit relative ad vulnera peccati originalis, quae possunt aggravari in uno magis quam in alio propter diversam conditionem individualem naturae et propter diversa opera peccaminosa personalia[2].

526. Hoc autem augmentum iustitiae originalis aut etiam peccati originalis *non est augmentum per additionem, sed per solam intensionem.*

Et quidem *nequit fieri per additionem*, quia aut fieret per additionem subiecti ad subiectum illorum, aut per additionem formae aut privationis ad formam vel privationem. Atqui neutrum dici potest. *Non additio subiecti ad subiectum*, quia tam iustitia originalis quam peccatum originale respiciunt directe totam humanam naturam, ut natura est, vel potius ipsam animam[3]; constat autem quod nec tunc nec nunc fit additio naturae ad naturam aut partis naturae ad partem naturae. *Neque additio iustitae ad iustitiam aut peccati ad peccatum*, quia tam iustitia quam peccatum sunt essentialiter unum quid, et ex ista additione tolleretur eius unitas, per eius multiplicationem. Unde et S. Thomas docet quod in uno homine est unum tantum numero peccatum originale[4].

I, 96, 3.
I-II, 82, 4, ad 1 et 2.
I-II, 83, 1-2.
I-II, 82, 2.

Oportet ergo quod fiat *per solam intensionem*, quia scilicet bonitas iustitiae magis perficitur per *maiorem radicationem in subiecto* et *maiorem appropriationem ad finem vel obiectum* eius nempe Deitatem, quam magis et magis participat eique plus appropinquat secundum perfectionem imaginis Dei in nobis; et per *proprios effectus*, scilicet virtutes operativas, in quas magis explicatur, ab ea dimanantes; et quia malitia peccati magis aggravatur per maiorem et intensiorem disgregationem partium hominis et maiorem adhaerentiam ad bona sensibilia et commutabilia.

Sed praesertim oportet considerare essentiam vel modum augmenti in hoc habitu supernaturali entitativo quoad substantiam, qui appellatur gratia sanctificans.

527. conclusio secunda: *Habitus gratiae sanctificantis non augetur per additionem, sed per solam intensitatem.*

528. *Probatur prima pars*. Si gratia sanctificans augeretur per additionem, aut augeretur per additionem proprii subiecti gratiae ad proprium subiectum eius, aut per additionem ipsius formae gratiae ad formam gratiae. Atqui neque ex parte proprii subiecti neque ex parte ipsius gratiae potest fieri additio. Ergo gratia sanctificans nullo modo augetur per additionem.

Maior constat, quia augmentum gratiae, sicut et aliarum qualitatum, non potest intelligi nisi duobus modis, ut patet ex dictis articulo primo huius quaestionis, scilicet ex parte proprii subiecti et ex parte sui. Ergo similiter augmentum per additionem non potest intelligi nisi vel ex parte subiecti vel ex parte ipsius gratiae.

Minor autem probatur per partes:

529. a) *Subiectum gratiae nequit augeri per additionem*. Subiectum essentialiter simplex et indivisum et indivisibile non potest augeri per additionem, quia omnis additio importat vel supponit, per definitionem, aliquam compositionem. Atqui proprium subiectum gratiae est

essentialiter simplex et indivisum et indivisibile, quia proprium subiectum gratiae est ipsa essentia animae rationalis, quae est essentialiter simplex et indivisa et indivisibilis. Ergo proprium subiectum gratiae non potest augeri per additionem.

Adde quod gratia sanctificans apud nos est gratia *sanans* et se habet ad animam sicut sanitas ad corpus. Atqui sanitas corporalis, quia de sui ratione *totum* organismum pervadit, nequit augeri per additionem, ut supra dictum est. Ergo neque sanitas animae, quae multo magis *totam* animam pervadit et penetrat et deificat, potest additionem aliquam admittere, quia extra totum nihil est et id quod adderetur praesupponeretur extra id cui adderetur.

530. b) *Ipsa etiam gratia secundum se nequit augeri per additionem.* Omne enim augmentum per additionem postualt essentialiter differentiam quamdam realem inter id quod augetur et id quod auget seu inter id cui additur et id quod additur. Atqui in ipsa gratia secundum se nequit poni talis distinctio. Nam haec distinctio necessario deberet esse aut specifica aut numerica: *non specifica*, quia gratia sanctificans quaecumque est unius speciei atomae; *neque mere numerica seu individualis*, quia cum gratia sit accidens et omne accidens individuetur a subiecto in quo, omnis distinctio numerica gratiae postulat distinctum subiectum simul aut successive; gratiae autem diversorum subiectorum seu animarum non adduntur inter se neque unum quid constituere valent; insuper, tale augmentum secundum se intelligitur semper in eodem numero subiecto; neque accidens migrare potest a subiecto in subiectum ut possit coniungi praecedenti et maius accidens facere.

Praeterea, omnis gratia sanctificans, utut minima sit, eamdem causam efficientem propriam habet, scilicet Deum; eamdem causam finalem, scilicet beatitudinem supernaturalem seu gloriam coelestem; eandem causam formalem, scilicet participationem formalem physicam

analogam ipsius deitatis prout est in se; eosdem effectus formales, scilicet deificare animam et esse radix virtutum infusarum. Nulla ergo apparet possibilitas aliquid addendi ex quacumque parte, eo vel magis quod quaecumque nova gratia cogitaretur, eadem essentialiter secum ferret, et ideo non posset augere per additionem aliam gratiam praesuppositam.

531. *Probatur secunda pars.* Consequitur statim ex prima. Constat enim gratiam sanctificantem augeri essentialiter iuxta ea quae dicta sunt articulo praecedenti. Constat insuper omne augmentum adaequate dividi per augmentum extensivum seu per additionem et intensivum seu per intensionem; insuper apparet ex prima parte quod non augetur per additionem. Ergo necesse est quod augeatur per intensionem, cum non detur aliud medium possibile.

532. Id ergo quod oportet modo videre est *secundum quam rationem gratia sanctificans augeatur intensive*, an scilicet secundum participationem in subiecto tantum seu per ordinem ad subiectum, an etiam secundum se vel ex parte sui per ordinem ad proprium finem vel terminum, qui est deitas ipsa beatificans.

Qua in re S. Thomas videtur diversa docuisse diversis locis. Nam in tractatu de gratia[1] conceptis verbis ait gratiam non posse augeri ex parte finis vel obiecti vel secundum se, quia idem est finis et obiectum indivisibile omnis gratiae, nempe unio ad summum bonum, quod Deus est; sed solum augeri posse ex parte subiecti, «prout scilicet unus perfectius illustratur a lumine gratiae quam alius», vel etiam unus idemque secundum diversa tempora[2].

In tractatu vero de Incarnatione, in quaestione de gratia habituali Christi, inquirit «utrum gratia Christi po-

---

[1] I-II, 112, 4.
[2] I-II, 112, 4 corp. et ad 2.

tuerit augeri», et ponens differentiam inter Christum et nos concludit: «Hominum vero, qui sunt pure viatores, gratia potest augeri et *ex parte formae* (=ex parte sui), quia non attingunt summum gratiae gradum; et *ex parte subiecti*, quia nondum pervenerunt ad terminum» [1]. Secundum hoc ergo gratia nostra pure viatorum augeri posset intensive ex utraque parte, scilicet ex parte sui et ex parte subiecti, et non solum ex parte subiecti, ut dicebat in I-II.

533. conclusio tertia: *Dicendum est quod ex utraque parte gratia habitualis potest in nobis augeri intensive.*

534. a) *Ex parte quidem subiecti* triplici de causa: Primo quidem ratione generali *inhaerentiae* quae convenit omni formae accidentali per ordinem ad subiectum suum, et quae essentialiter est susceptiva intensionis et remissionis; unde S. Thomas ait: «Vitam gratiae participat homo *accidentaliter*, et ideo eam potest homo magis et minus habere» [2]; secundo, *ratione capacitatis seu potentiae susceptivae obedientialis*, quae est in homine, nam haec capacitas de se est infinita, et ideo attenta tali infinitate semper potest homo magis ac magis gratiam recipere in indefinitum, ut in tractatu de caritate docet S. Thomas [3]; tertio, ratione *status viae*, qui est status perfectibilitatis et motus ad terminum; conditio ergo viae ex parte subiecti gratiae facit ut haec possit semper magis et magis augeri; quod quidem congruit homini viatori, naturaliter progressivo.

535. b) *Ex parte etiam sui* dicendum est gratiam posse etiam augeri in statu viae, quia gratia est essentialiter participatio formalis physica analoga naturae divinae in nobis. Atqui haec natura participanda est infinita

---

[1] III, 7, 12.
[2] I-II, 112, 4 ad 3.
[3] II-II, 24, 7 ad 2.

et infinite participabilis. Quia ergo ex hac parte nullus potest nunquam assignari terminus augmenti, dicendum est in homine viatore gratiam esse semper augmentabilem intensive secundum se. Unde ipse S. Thomas loquens de augmento caritatis (et idem valet de augmento ipsius gratiae, quia gratia et caritas aut sunt idem aut inseparabiles sunt), ait: «Ipsa enim caritas *secundum rationem propriae speciei* (vel ex ratione ipsius formae caritativae, ut paulo antea dixerat), terminum augmenti non habet; est enim participatio quaedam *infinitae* caritatis, quae est Spiritus Sanctus» [1].

Licet ergo non varietur terminus secundum se —deitas—, variari potest accessus ad terminum iuxta participationem plus minusve adaequatam ipsius, attenta distincta Dei praedestinatione.

536. Et inde iam patet *solutio ad difficultatem* textuum S. Thomae. Nam participatio potest sumi dupliciter: uno modo, *formaliter* vel secundum se, ex parte scilicet eius quod participatur; alio modo, *materialiter*, vel ex parte subiecti, nempe ex parte eius qui participat. Si ergo sumatur ita distinctim relate ad gratiam, dicendum est utroque modo augeri posse intensive; si vero omnis participatio reducatur ad subiectum, et solum consideretur fons vel essentia quae participatur pro forma, ut sic, tunc dicendum est gratiam non esse augmentabilem sicut non est augmentabilis ipsa Deitas, sed solum ex parte subiecti. In I-II ergo S. Doctor sumpsit participationem *adaequate et integraliter*, totam reducens ad considerationem subiecti; sed in II-II et III Parte, *distinctim et inadaequate* accepit, et sic admissit augmentum ex utraque parte. Et haec solutio valet pro antinomia apparenti inter I-II et II-II.

Alio etiam modo solvi potest pro solutione antinomiae inter I-II et III Partem, scilicet gratia consideratur secundum se ex parte proprii finis, quia est unio creatu-

---

[1] II-II, 24, 7.

rae rationalis ad Deum. At unio haec potest esse duplex: una accidentalis, per actum cognitionis et amoris, et haec unio est finis communis omnis gratiae habitualis; alia vero est substantialis, nempe hypostatica vel in persona, sicut fuit in natura humana Christi, ad quam unionem sicut ad finem cui ordinabatur gratia habitualis et accidentalis eius. In Christo ergo, quia duplex haec unio perfectissima erat ab initio, nullo modo gratia habitualis augeri poterat secundum se; in nobis vero viatoribus, quia gratia haec habitualis non est ordinata ad unionem substantialem, sed solum ad accidentalem, et tamen absolute loquendo poterat ad illam ordinari, eo quod natura humana omnium hominum est assumptibilis a Verbo in unitatem personae [1], ideo absolute loquendo et secundum se seu ex parte gratiae poterat augeri usque ad istam summam unionem possibilem creaturae ad creatorem, quae est unio in persona [2].

Hac ergo de causa gratia habitualis in puro homine et in pura creatura, sicut sunt etiam angeli et Beata Virgo, non pervenit ad summum ex parte ipsius gratiae, quia non pervenit ad subiectum proprium et adaequatum ipsius gratiae prout est Deitas, cum tale subiectum sit solum suppositum divinum seu Deus, sicut proprium subiectum adaequatum caloris est ignis et non aqua vel aer, ut exemplo utar S. Thomae [3].

537. Dicamus ergo quod augmentum gratiae sanctificantis convenit cum modo augmenti iustitiae originalis cum hac tamen differentia, scilicet quod terminus *a quo augmenti* in iustitia originali debebat esse aequalis in omnibus, pro aequalitate talis iustitiae in suo origine, dum terminus *a quo* in gratia habituali personali potest esse varius, pro diversa dispositione aut cooperatione

---

[1] III, 3, 7.
[2] III, 2, 9.
[3] III, 7, 12.

subiecti et maxime pro diversa mensura donationis Dei, ut supra ex Concilio Tridentino dictum est.

Attamen fatendum est quod duplex illa unio ad Deum respondet duplici generi praedestinationis et electionis, ut scilicet simus filii Dei vel quod vere aliquis sit ipse Deus.

538. *Augetur* autem *directe* seu ratione sui per opera sacramentalia seu ex opere operato; *indirecte* autem ratione augmenti virtutum infusarum ex opere operantis meritorie provocati ex opere operato vel sine illo ex gratia actuali operante vel cooperante, et quidem ferventiori in hac vita; ex quocumque in altera vita; physice dispositive tantum; perfective autem per modum meriti.

B. *De essentia augmenti habituum operativorum supernaturalium*

539. Habitus operativi supernaturales sunt virtutes infusae et dona Spiritus Sancti. Et quia non est eadem de omnibus ratio, ideo distinctim consideranda sunt tria: 1°, essentia augmenti virtutum theologicarum; 2°, essentia augmenti virtutum moralium infusarum; 3°, essentia augmenti donorum Spiritus Sancti, quae quasi medio modo se habet inter virtutes theologicas et virtutes morales.

a) *De essentia augmenti virtutum theologicarum*

540. conclusio: *Virtutes theologicae non augentur essentialiter per additionem, sed solum per intensionem.*

541. *Probatur prima pars.* Si virtutes theologicae augerentur essentialiter per additionem, haec additio deberet fieri aut ex parte proprii subiecti aut ex parte proprii obiecti et finis. Atqui ex neutra parte fieri potest.

Non quidem ex parte proprii subiecti, quia proprium subiectum virtutum theologicarum sunt *facultates pure spirituales* et simplices et indivisae et impartibiles, nempe intellectus (=pro fide) et voluntas (=pro spe et caritate); et quidem *absolute* consideratae ut intellectus et ut voluntas, prout intellectus distinguitur a ratione et voluntas differt a libro arbitrio. Atqui quod est impartibile et immobile non potest suscipere additionem neque subtractionem. Ergo ex parte proprii subiecti est impossibile augmentum per additionem.

542. *Neque ex parte proprii obiecti*, quia proprium obiectum alicuius virtutis est obiectum eius formale *quo* et *quod*. Atqui obiectum formale *quo* et *quod* virtutum theologicarum est unum et unicum et simplex et impartibile, quia est Deus ipse secundum se, prout est revelans aut beatificans aut absolute bonus; Deus autem non suscipit additionem neque subtractionem.

Equidem obiectum *mere materiale* et secundarium istarum virtutum augeri et extendi aliquo modo potest, et in hoc sensu semper possumus nova credere et nova sperare et nova caritate diligere; at ista obiecta mere secundaria et materialia non sunt de ipsa essentia virtutum, quia eas non specificant, sed contingenter et per accidens se habent ad eas. Unde augmentum quod secundum ista obiecta habetur non est essentiale, sed accidentale et quidem non extensivum intrinsecum, sed extensivum extrinsecum; neque proprie loquendo afficiunt ipsum habitum, quia idem *medium* formale unicum et invariabile est pro omnibus obiectis illis et idem obiectum formale *quod*.

543. Hoc autem augmentum obiecti mere materialis in fide theologica fieri potest *dupliciter*: uno modo per *revelationem* divinam et quantum ad ipsos *articulos* fidei; alio modo, per *propositionem et definitionem Ecclesiae* quantum ad *explicationem* articulorum in dogmata particularia, quae in se et quoad se revelata erant, at non

constabat quoad nos, et huc redit id quod consuevit dici *evolutio dogmatum*[1].

An vero ista explicatio se extendat usque ad virtualiter et mediate revelata, id est, usque ad conclusiones theologicas stricte dictas, an e contra sistat solum in his quae sunt formaliter et immediate revelata, licet implicite sicut in habitibus immediatis intellectus, disputatur inter theologos, etiam inter thomistas. Natura fidei et dogmatis videtur postulare quod limitetur ad sola formaliter revelata, licet implicite, quia secus oporteret ponere augmentum extensivum intrinsecum in virtute fidei divinae sicut ponitur in habitibus intellectualibus speculativis et in Sacra Theologia, et iam non esset idem absolute medium semper, quin immo fides esset aequivalenter discursiva; quod est omnino reprobandum. Ideo ergo neganda est ista evolutio essentialis seu intrinseca dogmatis.

544. *Probatur secunda pars*. Sequitur ex praecedenti. Nam certum est virtutes theologicas augeri essentialiter; certum quoque non augeri per additionem essentialiter; certum est etiam omne augmentum essentiale habituum esse aut per additionem aut per intensionem. Cum ergo non augeantur per additionem, eo ipso constat augeri per solam intensionem.

Haec autem intensio convenit istis virtutibus et per ordinem ad proprium *subiectum*, quod magis actuant et perficiunt et ad actum harum virtutum reducunt eique magis profunde et firmiter inhaerent; et per ordinem ad proprium *obiectum* formale *quo* et *quod*, quatenus *magis penetrat* ipsa et *magis eis adhaeret* et suavius et constantius et ferventius in ea fertur; ad quod quidem maxime iuvatur per dona Spiritus Sancti correspondentia, ut proprio loco dicturi sumus. Ita ergo idem et ex eadem formali ratione potest unus magis intense et perfecte credere et sperare et amare quam alius, vel etiam magis quam ipsemet secundum diversa tempora; quod quidem maxime fit quando fides et spes sunt formatae caritate.

[1] II-II, 1, 7 et 10; 2, 5-8.

b) *De essentia augmenti virtutum moralium infusarum*

545. conclusio: *Virtutes morales infusae non augentur essentialiter per additionem, sed per intensionem.*

546. *Probatur prima pars.* Si virtutes morales infusae augerentur essentialiter per additionem, haec additio deberet fieri aut per comparationem ad proprium subiectum vel per comparationem ad proprium obiectum. Atqui ex neutra parte potest fieri additio.

Non ex parte proprii subiecti, nam proprium subiectum harum virtutum est ratio practica (pro prudentia), voluntas (pro iustitia), appetitus irascibilis (pro fortitudine) et appetitus concupiscibilis (pro temperantia), et quidem non secundum potentiam naturalem, sed secundum potentiam *obedientialem.* Atqui sub hoc respectu nequit ulla additio fieri. Nam ratio practica et voluntas, cum sint facultates pure spirituales et simplices, nequeunt in partes dividi neque partem novam suscipere, neque etiam augeri aut intendi possunt; istaemet autem et appetitus sensitivus, secundum potentiam *obedientialem* maxime considerantur *prout emanant ab ipsa essentia animae ut est spiritus* et transcendens totum ordinem corporeum et ut est facta ad imaginem Dei. Si ergo iam in ordine mere naturali, simplicitas earum non permittebat additionem aut divisionem in partes, multo minus adhuc in ordine supernaturali, ubi potius in sua nativa radice et origine spirituali sumuntur, et propter hoc manent in anima separata quando est in patria.

Neque etiam ex parte proprii obiecti. Nam proprium obiectum formale earum est medium rationis supernaturalis active ponendum vel exequendum. Et licet, sicut in ordine naturali, etiam hic detur magna latitudo, nihilominus haec medietas instinctive potius invenitur et multo plus adunato et simplici quam in ordine naturali. Solum ergo invenitur ibi aliqua resonantia vel quasi redundantia augmenti intensivi intrinseci, proprie tamen

solum invenitur variatio et additio ex parte obiecti mere materialis, quod non importat augmentum essentiale, sed pure accidentale et extensivum extrinsecum.

547. *Secunda pars* per se patet, quia non datur aliud augmentum praeter augmentum per additionem nisi augmentum per intensionem; et quidem tam per ordinem ad proprium *subiectum,* cuius potentiam obedientialem magis actuant, tum per ordinem ad proprium *obiectum* et medium, cui magis compenetrantur et quod magis reducunt ad unitatem syndereseos supernaturalis, quae est fides theologica.

Et vere apparet quod ita debet fieri augmentum, quia augmentum hoc supernaturale fit ex gratia Dei, quae derivatur ad virtutes ex gratia ipsa habituali quae residet in essentia animae ut est spiritus, eo fere modo quo energiae vitales potentiarum naturalium ab ipsa essentia animae derivantur ad potentias. Et propter hoc dictum est paulo supra quod ratio subiecti pro his virtutibus infusis sunt potentiae animae in sua radice et fundamento, quod habent in ipsa animae esesntia.

c) *De essentia augmenti donorum Spiritus Sancti*

548. conclusio: *Dona Spiritus Sancti non augentur essentialiter per additionem, sed per intensionem.*

549. *Probatur prima pars.* Materia circa quam versantur dona Spiritus Sancti est materia omnium virtutum infusarum et naturalium. Unde quae dicta sunt circa augmentum obiecti mere materialis pro virtutibus naturalibus et supernaturalibus, dici debet proportionaliter pro donis Spiritus Sancti. Potest ergo in hoc sensu mere *accidentali* et extrinseco concedi aliqua extensio vel dilatatio donorum Spirtus Sancti.

Si vero sumamus dona Spiritus Sancti quantum ad id quod in eis *essentiale* est, nempe ordinem ad proprium

subiectum in quo sunt et ad proprium *obiectum formale*, tunc nequit dari ulla additio.

Non quidem ex parte proprii subiecti, eadem ratione qua de virtutibus infusis dictum est, quia scilicet vel est pure spirituale, ut intellectus et voluntas, vel est radicaliter et eminenter spirituale, pro ceteris potentiis susceptivis donorum Spiritus Sancti, quae ea suscipiunt secundum potentiam *obedientialem* et prout radicaliter et eminenter sunt in ipsa anima ut est spiritus ad imaginem Dei. Et inde est quod multo profundius inseruntur habitus supernaturales in propriis subiectis quam habitus naturales; et haec est ratio cur non diminuantur per peccata venialia, quae non penentrant usque ad proprium eorum subiectum.

Neque etiam ex parte proprii et formalis obiecti, quod est docilitas ad motiones et inspirationes Spiritus Sancti moventis nos principaliter per caritatem, et experimentatio vel degustatio harum motionum divinarum. Licet enim hae variae sint, tamen adunantur in caritate et sub una ratione gustus spiritualis percipiuntur.

550. *Secunda pars* eodem modo constat sicut pro aliis habitibus dictum est. Et vere haec maior intensitas afficit dona non solum per comparationem ad proprium *subiectum*, quod magis reducunt in actum et magis actuant et perficiunt ipsum, sed etiam per comparationem ad proprium et formale *obiectum*, per maiorem promptitudinem et docilitatem ad divinas motiones et per magis intimam compenetrationem cum propriis obiectis ceterarum virtutum prout ad Deum, per caritatem informatae, referuntur.

551. Ceterum, *generaliter loquendo, augmentum virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti necessario connectitur cum augmento gratiae sanctificantis*, cuius sunt naturales sequelae, et ideo semper coaugentur. Quod quidem de illis virtutibus vel habitibus, qui nequeunt esse sine gratia habituali et caritate, facile constat, quia

fieri et esse ex una parte et augeri et corrumpi ex alia parte, mutuo sibi respondent. Quae ergo simul fiunt et sunt, simul etiam augentur et corrumpuntur. At de virtutibus quae possunt dari *sine gratia et caritate*, ut sunt fides et spes, potest esse dubitatio.

Crederim ergo quod hac in re distinguere oportet: Si agatur de augmento *essentiali et intensivo*, credo quod non datur in istis virtutibus independenter et separatim ab augmento gratiae habitualis, et hac de causa opinor quod minima fides et spes formata est magis firma et intensa quam quaecumque alia fides et spes informis.

Si vero agatur de augmento *mere accidentali et materiali*, tunc potest esse maior fides et spes informis quam formata, sicut videmus quod plura credit aliquis peccator modo quam credebant Patres Antiqui Testamenti, quibus nondum tanta sicut nobis erant revelata.

Quia tamen exercitio credendi, quaedam fides *humana* generari potest actibus naturalibus imperatis, ex qua resultat maior facilitas et suavitas psychologica in credendo, dici potest quod fidelis qui modo incidit in peccatum mortale, maiorem facilitatem forte habet in credendo quam alius recenter conversus ad fidem. At haec, ut ex supra dictis patet, non spectant ad ipsam essentiam habitus vel virtutis, sed ad dispositiones quasdam plus minus materiales.

552. *Inductive et analytice* considerando singula genera habituum tam naturalium quam supernaturalium, apparuit nullum augeri proprie loquendo per additionem, sed per intensionem, licet repugnantia additionis non eodem gradu et evidentia semper et ubique perspiceretur, quia nec semper erat idem ordo et idem angulus visionis. Quod autem dicitur de singulis dicendum est de toto. Ergo nullus habitus augetur essentialiter per additionem. Accidentaliter et per accidens quid simile augmento extensivo seu per additionem agnoscitur; non vero essentialiter.

Aliunde positio eclectica Suarezii apparet statim impossibilis, cum non sit nisi simplex iuxtapositio doctrinarum contrarie et directe oppositarum. Agitur enim de augmento essentiali. Si ergo simul habitus augerentur utroque modo contrario, contraria simul essentialiter, idest secundum idem eidem convenirent. Hoc autem est impossibile, quia contraria ab eodem subiecto se mutuo expellunt.

Non ergo remanet alia positio nisi S. Thomae, qui docet habitus augeri essentialiter per solam intensionem, licet per accidens tum ratione subiecti tum ratione obiecti aliquam similitudinem aliquando habeant augmenti per additionem, ratione scilicet quantitatis per accidens contnuae vel quasi discretae quae quibusdam habitibus convenire potest. At vero haec accidentalis et quasi metaphorica additio nihil probat, cum sit extra quaestionem de essentia augmenti essentialis habitus.

553. Si vero *synthetice* rem consideremus, sententia S. Thomae apparet omnino vera et certa.

Nam augmentum per additionem est proprium quantitatis mathematicae continuae vel discretae; de aliis vero quibuscumque dici posset, semper dici debet per ordinem et relationem ad quantitatem mathematicam.

Quanto ergo in scala entium magis recedimus a quantitate vel corporeitate, tanto etiam magis recedimus ab augmento per additionem. Nunc autem, iam *ipsi habitus entitativi naturales* recedunt a quantitate et corporeitate quia non sunt quanti per se, sed solum per accidens, eo vel magis quod sunt dispositiones corporis *vivi* in quantum huiusmodi, et consequenter dispositiones *vitales*, quae magis pendent ab anima quam a corpore. Ideo ergo istis habitibus nequit convenire additio nisi per accidens, et tamen agimus de augmento per se et essentiali.

Deinde vero, habitus *operativi*, cum sint sicut in subiecto in potentiis animae, quae non sunt corpus neque quantitas, sed expansio et resultantia spiritualis ipsius animae, proprie loquendo non sunt quantae nec per accidens sicut entitativi, et ideo neque per acidens convenire

potest eis additio ex parte subiecti. Et si hoc verum est de dispositionibus vel habitibus potentiarum *organicarum*, *a fortiori et multo magis* dicendum est de habitibus potentiarum *inorganicarum seu spiritualium*, qui vere et proprie et simpliciter sunt habitus, et qui essentialiter remoti sunt a corpore et quantitate.

Quod si inde surgamus ad ordinem *supernaturalem*, evidentius hoc apparebit. Nam ordo gratiae et virtutum infusarum est ordo pure spiritualis et immaterialis et incorporeus et omnino remotus a quantitate. Ergo est ordo omnino remotus a quacumque additione, sicut et ipsa deitas. Unde sicut termini numerales non dicuntur proprie de divinis secundum quod sumuntur a quantitate mathematica, sed secundum quod sumuntur a multitudine metaphysica vel transcendentali, ut ait S. Thomas in I, 30, 3, ita neque additio aut subtractio, quae proprie sequuntur quantitatem mathematicam, dici possunt de divinis et supernaturalibus.

Sed est argumentum omnino apodicticum. Additio *essentialis* non est intelligibilis sine aliqua compositione *essentiali* eius quod additur et eius cui additur. Atqui habitus sive naturales sive praesertim supernaturales sunt *essentialiter* simplices seu non compositi, cum sint incorporei et immateriales *essentialiter*, eo modo quo simplex et incorporea est anima rationalis et potentiae animae, quibus respondent et quibus assimilantur[1]. Ergo additio *essentialis* nequit convenire habitibus. Habitus ergo non sunt essentialiter augmentabiles per additionem.

Adde quod in angelis et in animabus separatis, saltem beatis, sunt habitus quidam supernaturales, ut caritas et dona Spiritus Sancti et gratia sanctificans et lumen gloriae; et isti habitus sunt eiusdem speciei in illis omnibus, et excepto lumine gloriae quod in hac vita non habent iusti, ceteri sunt eiusdem speciei in hac et in altera vita. Ergo si habitus essentialiter augerenter per additionem et essentialiter essent compositi ex pluribus partibus di-

1 I-II, 50, 2.

stinctis vel distinguibilibus, deberemus ponere compositionem essentialem in angelis et in animabus separatis, quae tamen penitus simplices sunt.

Dicamus igitur quod, sicut in augmento corporum viventium, membra aucta sunt eadem quae erant a nativitate, magis tamen perfecta et alio modo se habentia, ita habitus quando augentur iidem perseverant licet perfectiori et meliori modo.

Intelligere autem augmentum qualitativum ad modum augmenti quantitativi est purus putusque anthropomorphismus; ignorare eorum analogiam.

Positive autem apparet *motus augmenti intensivi* in habitibus, quia omnes habitus humani sive naturales sive supernaturales sunt quid *essentialiter vivum et vitale*. Ergo eorum augmentum debet esse *essentialiter vitale* seu motus vitalis. Atqui propria ratio vitae et vitalitatis est incorporea et a quantitate, ut quantitas est, aliena. Est ergo vitale per intensitatem seu evolutionem, non per additionem, cum sit naturale et ab intrinseco, non artificiale aut violentum et ab extrinseco.

§ III

Solvuntur difficultates

554. *Obiectio prima*. Quod est de essentia augmenti proprie et univoce dicti salvari debet proportionaliter in augmento analogice sumpto, quia secus esset pura aequivocatio. Atqui de essentia augmenti proprie et univoce dicti, prout scilicet dicitur de quantitate, est additio; quod patet, quia illud est de essentia augmenti sic dicti quod ponitur in eius definitione; sed in definitione augmenti sic sumpti ponitur additio, dicente Aristotele: «Augmentum est praeexsistentis magnitudinis additamentum». Ergo additio est de essentia augmenti proprie et univoce dicti. Ergo et proportionaliter seu analogice debet esse de essentia augmenti analogice dicti.

555. *Respondetur*. *Concedo mai.*; *distinguo min.*: Additio est de essentia augmenti proprie et univoce dicti, prout nempe dicitur de quantitate vel magnitudine mathematica et etiam physica non viventi seu inanimata, *concedo*; prout dicitur de quantitate vel corpore vivo seu animato, *subdistinguo*: est de ipsa essentia augmenti quasi constitutiva eius, *nego*; est concomitans essentiam veluti accidens eius et per se secundo, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Solutio patet ex dictis in introductione ad totam quaestionem. Si ageretur de simplici augmento habituum, posset trahi analogia ab augmento quantitativo mathematico; at non sic, sed agitur essentialiter de motu augmenti et quidem vitali, quia habitus in nobis sunt quid essentialiter vivum et vitale; et ideo oportet analogiam trahere a motu augmenti corporis vivi seu animati, qui est actus proprius potentiae vegetativae, quae dicitur *augmentativa*; et in illa id quod formale et per se primo est, ad vitam et animam spectat, eo vel magis quod potentiae vegetativae sunt *activae*, ideoque proprium obiectum producunt; quod vero secundarium, licet necessarium sit, pertinet ad corpus et quantitatem physicam. Analogia autem propria trahitur ab eo quod formale et primordiale est, non vero ab eo quod secundarium et concomitans et plus minus accidentale.

Et haec videtur esse melior solutio quam ea quam suggerit S. Doctor, qui procedit ex alia derivatione analogiae augmenti qualitativi habituum et virtutum. Imo quae dicit de rarefactione non videntur esse vera.

556. *Obiectio secunda*. Ita augetur habitus sicut augetur causa eius augmenti. Atqui causa augmenti habitus augetur per additionem, nam habitus augetur per actus, actus autem augentur per additionem novi agentis vel novi actus vel saltem novi conatus. Ergo et habitus augetur per additionem.

557. *Respondetur*. *Transeat maior*. *Nego minorem et conclusionem*.

Dixi transeat *maior,* quia propria causa et proprius effectus in quantum huiusmodi solent esse proportionales; attamen quandoque effectus modificatur ex conditionibus passivis recipientis, iuxta illud; quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Negavi autem *minorem,* quia revera propria causa augmenti habitus non sunt ipsi actus, sed agens per actus suos; agens autem proprium huius augmenti non augetur per additionem novae formae agentis, sed vel intendit suos actus per maiorem conatum et fervorem, vel quodammodo extendit diversimode et diversa operando in proprium subiectum habitus augmentandi, ut melius et citius augeri valeat. Consequenter ex parte agentis augmentum potest dari motus intensionis et quasi extensionis per diversos actus et materias. Nihil ergo mirum quod in ipso habitu augendo causetur et intensio maior in subiecto et extensio quaedam maior ad diversa obiecta materialia. Hoc autem posterius secundarium est et accidentale, dum prius est vere essentiale, quia per illud augens est plus agens et non solum plura agens.

Nihil ergo ex hac obiectione concluditur contra nos, sed potius concluditur aliquid pro nobis.

558. *Obiectio tertia.* Sicut se habet subiectum non habens habitum ad habendum habitum, ita se habet habens habitum imperfectum ad habendum habitum perfectum et auctum. Atqui subiectum non habens habitum recipit habitum *per additionem eius.* Ergo et subiectum habens habitum imperfectum recipit habitum perfectum *per additionem* huius perfectionis.

559. *Respondetur. Nego maiorem. Concedo minorem et nego conclusionem.*

Ratio est quia essentialiter differunt generatio et augmentatio, et ideo essentialiter differunt conditiones subiecti ut in eo fiat generatio alicuius formae et augmentatio eiusdem iam generatae. Non licet ergo sine sophismate aequivocationis transire a genere ad genus.

Quia ergo subiectum habitus antequam omnino habeat formam eius, est omnino in potentia ad habitum, ideo generatio habitus fit *per additionem* formae eius subiecto; aut si velis *per actuationem* potentiae subiecti, quae prius erat mere in potentia et modo est in actu primo. Postquam vero iam est in actu per formam illam, iam non est amplius in potentia ad formam, sed ad maiorem perfectionem formae, quae fit per *maiorem actuationem* quam affert subiecto et per *maiorem approximationem,* quam porrigit subiecto in ordine ad obiectum vel finem eius.

Apparet ergo quod, etiamsi maiorem concederemus, adhuc nihil contra nos sequeretur, quia per generationem accidentalem formae accidentalis nihil aliud fit quam reducere in actum potentiam subiecti, neque proprie loquendo forma illa fit aut generatur, sed potius compositum accidentale formae cum suo subiecto. Et eodem modo potentia iam actuata forma, sed nondum plene et perfecte, ulterius reducitur in perfectiorem actum per augmentum habitus.

Art. 3.- Utrum quilibet actus augeat habitum

560. Ut dictum est in distributione articulorum huius quaestionis, in hoc articulo agitur de *causa* augmenti habituum. *Supponitur* autem quod causa augmenti habitus est *actus,* quia eadem est causa habitus et augmenti eius[1]; constat vero causam habitus naturalis acquisiti esse actus, ut dictum est quaestione praecedenti, articulo secundo et tertio. Non ergo quaeritur utrum actus augeant habitum, sed utrum *quilibet* actus habitum augeat.

Et quidem S. Doctor in hoc articulo non agit nisi de causa augmenti habituum acquisitorum; at, quia propor-

[1] I-II, 53, 2.

tionaliter eadem est quaestio pro causa augmenti habituum infusorum, et insuper theologum agimus, ideo nos addemus considerationem de causa augmenti habituum supernaturalium.

§ I

DE CAUSA AUGMENTI HABITUUM NATURALIUM

561. Ut modo dictum est, littera articuli respicit solum habitus naturales. Et licet brevis sit, magnam habet foecunditatem. Nam:

a) Habitus *ordinis naturalis* est duplicis generis: alius, *innatus seu congenitus*, qui vere non est nisi entitativus corporalis; alius vero *acquisitus* propriis actibus, et quidem iste potest esse aut *entitativus* aut *operativus*. Quaeritur ergo de quo habitu fiat sermo in hoc articulo: an de habitibus operativis tantum vel etiam de entitativis, immo et de congenitis vel innatis.

b) Dein, actus potest esse multiplex: potest enim esse actus agentis *exterioris*, aut *ipsiusmet* subiecti in quo est habitus augendus; et quidem tunc potest esse actus alicuius potentiae vel habitus *superioris*, aut actus potentiae vel habitus *inferioris*; aut denique actus potentiae et habitus *ipsius* qui augendus est. Quaeritur igitur de quo genere actus agatur; et dato quod maxime fiat sermo de actibus ipsius habitus augendi, cum isti actus, eo ipso quod pendent a voluntate quoad exercitium, diversae possint esse efficacitatis, statim quaeritur quinam ex his actibus augeant habitum. Nam actus procedentes ab aliquo habitu possunt esse triplicis generis: quidam, eiusdem intensitatis et perfectionis ac ipse habitus a quo procedunt; alii, maioris intensitatis et conatus; alii minoris intensitatis, qui et remissi dici solent.

c) Denique *augmentum*, ut patet ex articulo praecedenti, potest esse intensivum et essentiale, vel solum me-

re extensivum materialiter. Unde quaeri potest utrum quilibet actus causet augmentum, saltem extensivum vel etiam intensivum.

Sed nec satis. Quocumque enim modo intelligatur, duo sunt separatim quaerenda: 1°, circa *ipsam productionem* augmenti; 2° circa *modum* vel *genus* causae quo augmentum producitur.

A. *De exsistentia productionis augmenti*

562. Circa *exsistentiam autem vel factum* productionis augmenti quaeruntur tria: 1°, *quinam actus* augeant de facto habitum; 2°, hoc comprobato, *quantum* augeant ipsum; 3°, hoc etiam comperto, *quandonam* augeant habitum.

1. *Quinam actus augeant habitus*

563. CONCLUSIO PRIMA: *Si sermo sit de habitibus congenitis in nobis et de habitibus entitativis acquisitis, isti habitus non augentur ex propriis actibus, sed vel ex actibus aliarum potentiarum et habituum eiusdem subiecti in quo sunt, vel ex actibus exterioris agentis.*

564. *Ratio* prioris partis est, quia habitus congeniti apud nos sunt tantum ex parte corporis, ut patet ex dictis supra, quaestione 51, articulo primo, ideoque entitativi[1]. Atqui habitus entitativus non habet operationes in quantum huiusmodi, ut patet ex eius definitione. Consequenter nequit propriis actibus augeri et nutriri.

Alia autem pars facile patet; nam revera istae dispositiones corporales augentur et perficiuntur et corroborantur sive propria cura, v. gr. si quis propria ambulatione aut propria arte sanat seipsum; sive etiam actibus

---

[1] I-II, 50, 1.

exterioris agentis, ut si quis appellet medicum, qui medicinam efficacem ei porrigat: haec autem medicina solet esse corpus extraneum, quod agit viribus propriis chimicis.

565. CONCLUSIO SECUNDA: *Si vero agatur de augmento habituum operativorum, isti habitus augeri possunt actibus tum propriis tum alienis seu exterioris agentis; et quidem eiusdem agentis, actibus tum superioris potentiae vel habitus, tum inferioris potentiae vel habitus, tum eiusdem habitus augendi.*

566. *Ratio* (respectu actuum qui sunt *extra actus proprios habitus augendi*) est, quia quicumque actus possunt aliquo modo concurrere ad generationem alicuius habitus, possunt etiam quodammodo concurrere ad augmentum eius iam geniti, eo quod non sunt minoris efficacitatis postea quam prius, et, aliunde, non maior efficacitas requiratur ad augmentum habitus quam ad eius generationem. Atqui omnes isti actus recensiti aliquo modo concurrunt aut concurrere possunt ad generationem habitus, ut patet ex dictis quaestione praecedenti, articulo secundo. Ergo et eodem iure aliquo modo concurrere valent ad eius augmentum, postquam semel genitus est.

Et quidem actus *exterioris* agentis, puta docentis vel instruentis, concurrunt per modum instrumenti *separati*; actus vero *proprii*, sed *inferioris* potentiae vel habitus, concurrunt per modum instrumenti *coniuncti*, praeparantis materiam pro actibus proprii habitus, vel aliquo modo exequentis et applicantis vel extendentis; actus autem *superioris* potentiae vel habitus concurrunt per modum causae *principalis* dirigentis et imperantis et moventis proprium habitum ad actus proprios intensius et rectius eliciendos. Sicut ergo pro generatione habitus, actus potentiae vel habitus superioris potiores partes habebant, ut supra dictum est, ita et pro augmento intensivo et formali eorum maxime concurrunt actus superioris potentiae vel habitus. Sicut ad augmentum Logicae vel Philosophiae naturalis maxime iuvat actus Metaphysicae, et

ad augmentum virtutum moralium potiori modo concurrit actus prudentiae et syndereseos; et ad augmentum Metaphysicae naturalis maxime iuvat Sacra Theologia, quae est Metaphysica supernaturalis. Unde sane intelligi possunt haec verba Bañez: «Plurimum utilitatis habet quod theologus circa metaphysicalia principia sese exerceat; sed, profecto, ipsamet Metaphysica maiorem habet nitorem et perfectionem dum Theologiae deservit quam dum inferioribus imperat aut seorsum addiscitur, id quod experimento manifestum est, maxime Theologiam D. Thomae addiscentibus; hi enim prae ceteris in metaphysicalibus eruditissimi evadunt. Habemus ergo quod Metaphysisa dirigitur et perfiritur a Theologia» [1].

567. Quod autem *proprii habitus augendi concurrant ad eius augmentum apparet*; nam isti actus considerari possunt dupliciter: uno modo, ut sunt excitati et *imperati* a potentia vel habitu superiori, et hoc modo sunt veluti moventes moti, et concurrunt una cum actibus potentiae vel habitus superioris; alio modo, ut *eliciuntur active* a proprio habitu et potentia, et tunc evidenter causant etiam augmentum, immo nihil facerent ceterae causae nisi isti actus concurrant, quia motus augmenti est motus vitalis et in augmento vitali oportet quod id quod augetur moveatur et pergat ad maiorem perfectionem et vim. Sicut ergo potentia augmentativa est quae per se primo et immediate causat augmentum, ita et potentia seu vis activa habitus augendi est quae per se primo et immediate causat augmentum habitus.

Sed quia actus alicuius habitus possunt esse et magis intensi et aeque intensi et minus intensi ac vis normalis eiusdem habitus, quaeritur *quinam ex his actibus causant augmentum habitus.*

Et quidem de actibus *magis intensis*, et loquendo de augmento intensivo producendo, non est dubium quod

---

[1] D. Bañez, *In I*, q. 1, art. 6, dub. unic., ad 5 arg., edit. cit. col. 48 F.

augeant, quia sunt actus maioris vigoris et conatus, et ideo si ipsi non augerent, nec ceteri augere possent. Actus autem *aeque intensi* videtur quod augeant aliquo modo, saltem *proxime disponendo* ad augmentum illud. *Minus vero intensi* non augent intensive habitum, quamvis, ut actus eius, aliquo modo retineant habitum, immo et *remote* possint aliqualiter disponere ad augmentum eius. Attamen possunt augere ipsum materialiter et extensive, extendendo habitum ad alia obiecta materialia; et idem dic a fortiori de actibus aeque intensis.

568. Conclusio tertia: *Sic ergo dicendum est actus intensiores augere habitum et intensive et extensive; aeque vero intensos augere posse extensive et disponere ad augmentum intensivum dispositione vera et positiva; minus vero intensos augere posse extensive, non autem de facto augere intensive, nec plane ad tale augmentum disponere, sed solum impedire aliqualiter quominus habitus citius corrumpatur per totalem cessationem ab actibus.*

569. *Ratio* est, quia inter causam et effectum solet esse proportio. Si ergo sermo sit de effectu maiori intensivo, causa propria eius debet esse maior intensive, et haec de facto non est nisi actus intensior. Si vero sit aeque intensus, non producet augmentum intensivum, sed impediet *totaliter* dissolutionem habitus, et praeparat et disponit proxime ut in ferventiorem actum prorrumpat. Actus vero minus intensus nullo modo potest intensionem maiorem facere.

Est ergo *analogice* sicut in generatione et augmento vitali corporali: generat animal vigorosum, non parvulum nec decrepitum; et augetur non deficiente nutritione (qua potius marcescit), nec sufficienti tantum (manet in statu quo), sed abundanti et meliori, qua crescit et pinguescit. *Non ergo multa, sed multum.*

E contra vero, quia omnis actus habitus, cum multiplicatur, quodammodo extenditur ad instar quantitatis discretae, ideo omnis actus, etiam minus intensus, potest

habitum augere extensive et materialiter. Et hoc experientia constat, nam etiam languide operantes at parvo conatu, possumus complere informationem materialem circa diversa obiecta habitus scientifici; et ex hac parte, semper labor est proficuus et augmentum aliquod culturae causare valet.

Et inde habes quod differentia circa vim augmenti habituum, quae a diversis diversimode explicatur, ortum habet ex diversa positione circa essentiam augmenti habituum: qui enim dicunt habitus augeri essentialiter per additionem, debent concedere omnem actum augere habitum; qui vero per intensionem augeri dicunt, tenere debent non quemlibet actum augere habitum, sed solum actum ferventiorem.

Articulus autem S. Thomae loquitur unice de augmento intensivo habitus, quia istud augmentum est proprium habitus, cum extensivum sit potius accidentale. Et respectu talis augmenti intensivi valent quae tradit Caietanus, scribens: «Actus *remisi*, quodammodo disponunt ad augmentum, et quodammodo ad diminutionem, in quantum enim exercent habitum illum, utpote illi similes, licet non perfecte, firmant aut firmum conservant habitum; in quantum vero deficiunt a similitudine perfectionis habitus, inclinant ad imperfectiorem gradum habitus, quod est disponere ad diminutionem: simile enim ad simile inclinat.

Actus autem *adaequati* habitui qui habetur, disponunt ad augmentum habitus, dum et illum firmant aut conservant in suae perfectionis gradu, utpote perfecte similes perfectioni habitus, et animae potentia per hoc propinquior redditur ad ulterioris perfectionis gradum eiusdem habitus.

Actus vero *excedentes* perfectionem habitus, virtute activi principii ipsius habitus excessum habentes, augent seu intendunt ipsum habitum» [1].

[1] Caietanus, *In II-II*, q. 24, art. 6, n. 3 in fine.

Quia ergo, ut ex dictis patet, actus habitus sunt ferventiores et perfectiores quando excitantur et fiunt ab influxu explicito habitus vel potentiae superioris, ideo pro praxi regula est semper instare principiis et resolutionem explicitam ad principia facere et ad superna conari semper.

2. *Quantum augeant habitum*

570. Hoc patet ex modo dictis. Habitus enim augeri potest ex actibus aut intensive aut extensive et mere materialiter.

CONCLUSIO PRIMA: *Si ergo loquamur de augmento intensivo, quod solum producitur ab actibus intensioribus, tantum augetur habitus quantum actus intensior excedit habitum a quo procedit, et quantum subiectum habitus augendi fuerit magis et melius dispositum per actus aeque intensos vel per frequentem augmentationem praecedentem.*

571. *Ratio* est, quia augmentum habitus non solum dependet ex causa activa eius, sed etiam ex dispositione subiecti, sicut et de generatione eius dictum est. Consequenter gradus augmenti eius mensurandus est ex duobus: primo quidem et principaliter ex causa eius activa, quae est actus intensior; secundario vero ex maiori et meliori dispositione subiecti ad hoc ut magis et melius actuetur ab habitu vel melius et perfectius reducatur ad actum eius.

Et inde apparet conclusio: nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Atqui esse augmenti habitus pendet ab his duobus principiis. Ergo et gradus augmenti a gradu perfectionis eorum. Et sic videmus quod, illi qui sunt bene dispositi ad scientiam, quasi naturaliter et sine tanto conatu magis proficere solent, quam illi qui penitus erant indispositi propter inveteratam pigritiam.

572. CONCLUSIO SECUNDA: *Si vero loquamur de augmento extensivo, quod fit aut fieri potest a quocumque actu, similiter dicendum est tantum augeri quantum actus illi magis extenduntur aut multiplicantur circa diversa obiecta materialia.*

Et *ratio* est eadem, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis et minus ad minus. Ad hoc autem augmentum mere extensivum minor dispositio requiritur quam ad augmentum intensivum.

3. *Quandonam augeant habitum*

573. Si loquamur de augmento intensivo, iam dictum est non omnes actus augere habitum, sed quosdam disponere tantum ad augmentum eius, alios vero actu eum augere.

CONCLUSIO PRIMA: *Si ergo loquamur de actibus disponentibus ad augmentum, qui sunt actus aeque intensi, dicendum est tunc augere quando immediate disponunt ad actum perfectiorem, quod quidem aliquando citius, aliquando tardius fit pro maiori vel minori numero actuum qui ad talem ultimam dispositionem requiruntur, et pro maiori vel minori activitate habitus vel agentis; si vero loquamur de ipsis actibus ferventioribus, augmentum fit statim ac ponitur actus ille.*

574. Et *ratio* est, quia posita causa sequitur effectus nisi aliquid contrarium obstet. Hic autem nihil obstat, quia subiectum iam erat plene et perfecte dispositum. Neque oportet applicare univoce id quod accidit in augmento corporis viventis, sed analogice quantum ad id quod vere formale est. Tunc enim vere fit augmentum in corpore viventi quando maius quid assimilatum est; hic autem in habitibus, eo ipso quod intensior fit actus in obiectum, iam assimilatus est ipso facto; sicut et experimur et sentimus quando novo quasi lumine perpessi, intensiorem intuitionem habemus. Unde et in tractatu de caritate docet S. Doctor quod tum actu crescit cari-

tas quando «homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum»[1].

575. CONCLUSIO SECUNDA: *Si autem loquamur de augmento extensivo, tunc fit augmentum quando actu novum obiectum materiale attingitur ab actibus habitus.*

Quod *eadem ratione* patet. Et sic videmus in vegetabilibus tempore veris quod continuo, cooperante aqua et calore et luce, novae et novae cellulae efformantur et evolvuntur et sic, die durante, continuo crescunt.

B. *De genere causae quo actus causant augmentum habitus*

576. CONCLUSIO: *Actus quomodocumque augentes habitum causant augmentum istud in genere causae efficientis physicae.*

577. Et *ratio* est, quia in eodem genere causae sumus causa ipsius habitus et causa augmenti essentialis habitus. Atqui habitus generandi sumus causa efficiens per actus nostros. Ergo et actus nostri sunt causa efficiens habitus augendi.

Et quidem ista efficientia est *physica* et non moralis tantum vel meritoria, quia et physice habitus ipsi causantur vel generantur ex actibus nostris. Illi ergo actus, nempe aeque intensi, qui solum *dispositive* causant augmentum intensivum, hanc dispositionem totalem causant vere physice; qui vero ipsum augmentum *perfective* producunt, ut actus intensiores, illud physice revera producunt; et similiter actus qui augmentum extensivum perficiunt.

Et revera quaestio de augmento habituum ponitur a *S. Thoma* inter eas quae reduncuntur ad causam efficientem habituum[2].

---

[1] S. Thomas, II-II, 24, 6.
[2] I-II, 51, prol. Cf. I-II, 53, 2.

Neque enim actus procedentes ad habitu sunt minoris efficacitatis quam actus procedentes a nuda potentia sine habitu, neque augmentum habitus de se maioris est dignitatis essentialis quam ipsa productio eius, eo quod augmentum illud est essentiale et essentia habitus aucti est eadem cum essentia habitus augendi.

Unde S. Thomas conceptis verbis asserit quod actus nostri concurrunt ad habendos et augendos habitus acquisitos per modum *efficientiae*[1]; et affirmat quod «virtutes acquisitae augentur ex actibus per quos causantur, et quidem *active*, idest physice et perfective, ut contraponitur causationi dispositivae et meritoriae»[2]. Et principium generale statuit his verbis: «Sicut actus egrediens ab agente potest causare virtutem acquisitam propter impressionem virtutum activarum in passivis, ut supra (in corpore) dictum est, *ita* et potest eam augere»[3]; et «*sicut* ab agente reducitur aliquid de pura potentia in actum formae, *ita* etiam per actionem agentis reducitur de actu imperfecto in actum perfectum»[4]. Unde «in habitibus *acquisitis* maius exercitium *causat* maiorem habitum»[5].

§ II

DE CAUSA AUGMENTI HABITUUM SUPERNATURALIUM

578. Ut patet ex supra dictis, habitus supernaturalis est duplex: alter entitativus, nempe gratia sanctificans; alter, operativus, scilicet virtutes infusae, quo nomine intelliguntur non solum virtutes theologicae et virtutes morales infusae, sed etiam dona Spiritus Sancti.

---

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 3.
[2] *De virtutibus in communi*, q. 1, a. 11, corpore et ad 14.
[3] *Ibidem*, ad 13.
[4] *Ibidem*, corpore art.
[5] *De virtutibus cardinalibus*, art. 3 ad 13.

579. conclusio prima: *Generatim loquendo, causa principalis et propria augmenti habituum supernaturalium est solus Deus; causa vero instrumentalis coniuncta est Humanitas Christi; instrumentalis autem separata sunt sacramenta Novae Legis.*

580. *Ratio* est, quia eadem est causa efficiens habituum supernaturalium et augmenti eorum. Atqui causa efficiens generationis habituum supernaturalium est solus Deus per modum causae propriae et principalis; et Humanitas Christi per modum instrumenti coniuncti et Sacramenta Novae Legis per modum instrumenti separati. Ergo et causa efficiens augmenti habituum supernaturalium est solus Deus per modum causae propriae et principalis; Humanitas Christi per modum instrumenti coniuncti et Sacramenta Novae Legis per modum instrumenti separati.

Maior constat ex hoc quod eadem est causa, et causans in eodem genere causae, generationis et augmenti habitus. Ergo et eadem est causa efficiens generationis habituum supernaturalium et augmenti eorum. Propter quod S. Thomas profunde et energice dixit quod virtutes «*intenduntur*... in quantum subiectum reducitur magis in actum ipsarum *per actionem agentis causantis eas; unde sicut* virtutes acquisitae augentur ex actibus per quos *causantur*, ita virtutes infusae augentur *per actionem Dei, a quo causantur*» [1].

Minor autem patet ex supra dictis, quaestione 51, articulo 4, et pluries traditur a S. Thoma et a ceteris theologis communiter [2].

581. conclusio secunda: *Respectu vero gratiae habitualis in particulari, prout est habitus entitativus essentialiter distinctus a virtutibus infusis et donis Spiritus Sancti, dicendum est eam augeri, in quantum huius-*

[1] *De virtutibus in communi*, q. 1, art. 11.
[2] Cf. I-II, 112, 1; II-II, 6, 1-2; 24, 2; III, 8, 1-3; 13, 2; 48, 6; 62, 1-5.

modi, a solis actibus exterioribus supernaturalibus, nempe a Deo ipso operante sive per seipsum sive per instrumenta supernaturalia dicta; non autem ab actibus eius.

582. Et huius *ratio* est quia gratia non est immediate operativa. Attamen, quia gratia est forma in essendo et per modum originis ceterorum habituum supernaturalium operativorum, ex consequenti per actus concurrentes aliquo modo ad augmentum virtutum infusarum, augetur et gratia ipsa habitualis.

583. conclusio tertia: *Quantum ergo ad augmentum virtutum infusarum, dicendum est illud fieri a solo Deo per modum causae principalis et propriae et ab Humanitate Christi et Sacramentis per modum causae instrumentalis ex opere operato; ab actibus autem propriis cum caritate factis augentur instrumentaliter perfective si sint intra Sacramentum (sicut actus poenitentis, ut materia proxima, qui sunt actus virtutis poenitentiae, sumuntur in Sacramento poenitentiae); si vero sint extra Sacramentum augent eas meritorie, in quocumque gradu intensitatis exerceantur, physice vero dispositive quando sunt intensiores.*

584. Unde patet quod isti actus supernaturales procedentes ex virtutibus infusis cum et ex caritate se habent quasi medio modo inter actus supernaturales praecedentes illas et actus naturales procedentes a virtutibus acquisitis. Nam isti actus naturales causant augmentum physice perfective; supernaturales praecedentes causant vel concurrunt ad habitus supernaturales per modum simplicis dispositionis et quidem physicae; subsequentes vero concurrunt ad augmentum per modum dispositionis physicae, et per modum causae meditoriae de condigno.

585. Quae doctrina est omnino conformis his quae tradit S. Thomas, quando ait: «*Eodem modo* sumus causa *augmenti* gratiae sicut et causa *ipsius* gratiae, scilicet

per modus *dispositionis tantum*; sed *efficientia utrobique* est ex parte ipsius Dei»[1].

Quod complet paulo post dicens: «Non eodem modo se habet actus informatus caritate ad augmentum caritatis, et actus *praecedens* caritatem ad habendam caritatem. Actus enim qui est *ex caritate* ordinatur ad augmentum caritatis, *et* per modum dispositionis *et* per modum meriti; sed actus *praecedens* caritatem ordinatur ad consequendam caritatem *solum* per modum *dispositionis*, ut supra dictum est (textu modo citato), non per modum meriti, quia ante caritatem nullum potest esse meritum. *Neuter* autem actus (=neque praecedens neque subsequens caritatem) ordinatur ad *habendam vel augmentandum* caritatem per modum alicuius *efficientiae*, sicut actus nostri ad habendum habitus acquisitos»[2].

Et idem retinet in De Virtutibus, scribens: «Actus autem nostri comparantur ad augmentum caritatis et virtutum infusarum *ut disponentes*, sicut ad caritatem a principio obtinendam; homo enim faciens quod in se est, praeparat se ut a Deo recipiat caritatem. Ulterius autem actus nostri possunt esse *meritorii* respectu augmenti caritatis, quia *praesupponunt caritatem*, quae est principium merendi; sed nullus potest mereri quod a principio obtineat caritatem, quia meritum sine caritate esse non potest»[3].

Et addit: «Caritas et aliae virtutes infusae *non* augentur *active* ex actibus, sed tantum *dispositive et meritorie*, ut dictum est»[4].

Et redit ad generale principium quando ait: «Naturale est ut omnis actus possit in acquisitionem vel augmentum similis habitus *vel* effective *vel* dispositive»[5].

---

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 2 ad 4. Cf. etiam *De malo*, 7, 2 c. et ad 2.
[2] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 2 ad 3.
[3] *De Virtutibus in communi*, q. 1, a. 11.
[4] *Ibidem*, ad 14.
[5] *II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 5.

586. Attamen quantum ad istam duplicem causalitatem, nempe physicam dispositivam et meritoriam augmenti, non omnes actus habitus infusi eam habent; omnes quidem, etiam remissi, habent vim meritoriam augmenti gratiae virtutum et gloriae; at non omnes habent vim dispositivam immediate ad tale augmentum, sed solum actus intensiores, quia tunc solum de facto augetur caritas quando homo prorumpit in actum ferventiorem[1]. Unde S. Doctor iterum scribit: «*Quolibet actu meritorio* (=et est actus meritorius quilibet actus a caritate elicitus vel imperatus) meretur homo augmentum gratiae, sicut et gratiae consummationem, quae est vita aeterna; sed sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus (=per actum ferventiorem) ad gratiae augmentum»[2].

Et alibi: «*Quilibet* —inquit— *actus caritatis meretur* vitam aeternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore; similiter etiam *quilibet actus caritatis* meretur caritatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum»[3].

Uno verbo: In acquisitis actus praecedentes causant efficienter physice habitus, et eodem modo subsequentes causant efficienter augmentum; in infusis vero praecedentes solum dispositive physice si ex gratia actuali, subsequentes vero dispositive physice —ex eadem lege— et ulterius meritorie, propter valorem caritatis; et iste valor meritorius adest in omnibus, dum dispositio physica solum in ferventioribus.

587. *Concilium Tridentinum* docet iustum bonis operibus vere mereri vitam aeternam et augmentum gratiae et gloriae[4]. Docet *insuper* actus adulti ante ipsam iusti-

---

[1] II-II, 24, 6.
[2] I-II, 114, 8 ad 3.
[3] II-II, 24, 6 ad 1.
[4] CONCILIUM TRIDENTINUM, ses. 6, c. 10, c. 16, can. 22, can. 32, Denz. 803, 809, 836, 842.

ficationem esse *dispositiones* ad gratiam recipiendam[1], ex gratia tamen actuali provenientes[2]; ex quo iure concluditur: ergo et actus subsequentes gratiam debent habere vim dispositivam respectu gratiae augendae, quia *nec illi sunt minoris efficacitatis nec gratia augenda maioris est dignitatis in ratione gratiae. Tertio,* docet opera bona iusti vere mereri vitam aeternam dandam suo tempore, hoc est, in fine vitae, si tamen in gratia decesserit[3]; ergo etiam *augmentum* gloriae, quod vere meretur, *suo tempore* recipiet simul cum ipsa gloria. Quod si ita est, *quia gloria non datur nisi subiecto disposito, ergo nec augmentum gratiae dabitur nisi quando subiectum fuerit bene dispositum;* est autem connaturaliter bene dispositum *quando prorumpit in actus ferventiores.* Ergo tale augmentum non statim datur semper, sed vel in vita quando prorumpit in actum ferventiorem, vel in fine vitae aut in momento prius natura ingrediendi gloriam. Unde apparet quod nihil oppositionis, immo maximum concordantiae, datur inter doctrinam S. Thomae et doctrinam Concilii Tridentini. Et merito Bañez conquaeritur de abusu adducendi Concilium contra doctrinam S. Thomae ab eo acriter propugnatam[4].

Certe, semel ac ponitur quod isti actus habent vim dispositivam ad augmentum et quod augmentum non datur nisi disposito ad illud nec est dispositus nisi qui in actum ferventiorem prorumperit, fatendum est doctrinam S. Thomae esse omnino fundatam.

588. *Quantum vero augmenti capiat* mensurandum est ex gradu meriti et dispositionis relative ad perfectionem actualem caritatis et virtutum augendarum; et ita augetur proportionaliter ad excessum illorum actuum,

---

[1] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 7, Denz. 799.
[2] *Ibidem*, c. 5, Denz. 797.
[3] *Ibidem*, c. 16, Denz. 809.
[4] D. Bañez, *In II-II*, 24, 6, & De mente S. Thomae, concl. 1-2, edit. cit. col. 899-900; *In I*, 95, 4, & Altera difficultas, edit. cit. col. 1834 sqs., ubi novas affert elucidationes.

proportionaliter ad ea quae pro habitibus naturalibus dicta sunt.

Denique omnes isti habitus supernaturales, eo quod *simul et pronecessario connectuntur* in gratia et caritate, *simul et proportionaliter crescunt*, eo fere modo quo simul et proportionaliter crescunt virtutes acquisitae cum prudentia, sicut etiam crescunt membra corporis vivi et digitus manus. Quod quidem intelligendum est quantum ad id quod *formale* est in ipsis, non autem semper et necessario quantum ad id quod aliquo modo materiale est seu per ordinem ad obiectum materiale, ut notat S. Thomas[1].

589. Unum addam respectu litterae huius articuli, qui parallelus omnino est articulo 6 quaestionis 24 Secundae Secundae, ubi de augmento caritatis loquitur, scilicet *analogiam augmenti habituum cum augmento viventium*, quam maxime inculcavi in introductione ad totam istam quaestionem. Totus enim articulus fundatur in analogia augmenti habituum cum motu augmenti animalium: «Ut loquamur —inquit S. Thomas— de augmento habituum ad similitudinem augmenti animalis». Quod si valet analogia pro *causa* propria, valet etiam pro essentia *effectus*.

Et clarius in tractatu de caritate: «Augmentum spirituale caritatis —ait— *quodammodo simile* est (=en analogia: quodammodo simile) augmento corporali... in animalibus et plantis»[2]; «Spirituale augmentum caritatis considerari potest *quantum ad aliquid simile* (=analogia; esset autem univocatio si esset quantum ad omnia et omnibus modis simile) corporali hominis augmento»[3].

---

[1] S. Thomas, I-II, 66, 2, ubi etiam videndus est Caietanus, qui evolutionem mentis S. Thomae adnotat. Vide etiam *De Virtutibus cardinalibus*, art. 3; etiamque D. Bañez, *In II-II*, 4, 5, concl. 6 et 7, edit. cit. col. 470-472, ubi comparat fidem informem cum formata respectu maioris vel minoris intensitatis.
[2] S. Thomas, II-II, 24, 6.
[3] II-II, 24, 9

El fundamentum dat istius analogiae quando dicebat quod «vita spiritualis *similatur* vitae naturali»[1].

Et expresse affirmat quod in animalibus et plantis «*proprie* (=univoce) est augmentum»[2]. Et alibi: «Augmentum dicitur dupliciter: uno modo, *communiter*, prout invenitur in viventibus et non viventibus, secundum quod quaelibet additio augmentum facit, et hoc modo virtutes augentur per omnia Sacramenta *quae gratiam inveniunt in subiecto*, ex eo quod ipsa de se nata sunt gratiam causare; alio modo, augmentum dicitur *proprie*, prout est *in viventibus* ex coniunctione nutrimenti, et talis modus augmenti virtutum est proprium *huic Sacramento*» (Eucharistiae)[3]. «Vita enim spiritualis *conformitatem aliquam* habet ad vitam corporalem, sicut et cetera corporalia *similitudinem quamdam* spiritualem habent»[4], et sic per similitudinem ad ea quae requiruntur ad vitam corporalem, explicatur numerus Sacramentorum quae ad vitam spiritualem sunt necessaria.

Patet ergo tam ex his quam ex illis quae adducta sunt in introductione ad totam istam quaestionem quod analogia proportionalitatis propriae motus augmenti habituum ad motum augmenti corporum viventium est omnino thomista. Et inde facile intelliguntur omnia quae dicuntur in hoc articulo tertio, nam actus procedentes ex habitu sunt veluti nutrimentum eius, quod necessario requiritur ad motum augmenti.

Art. 4.-Utrum habitus augeantur in infinitum

590. Quaeritur quantum augeri possunt habitus, utrum usque ad certum terminum tantum vel semper absque fine.

---

[1] *III Sent.*, dist. 29, art. 8, qla. 1, arg. sed contra. Cf. *ibidem*, corp. art.
[2] *In I de Coelo et mundo*, lect. 7, n. 2.
[3] *IV Sent.*, dist. 12, q. 2, art. 1, qla. 1 ad 1.
[4] III, 65, 1.

Ut autem quaestio debito modo solvi possit, necesse est distinguere augmentabilitatem habituum in ordine naturali et in ordine supernaturali.

§ I

DE AUGMENTABILITATE HABITUUM NATURALIUM

591. CONCLUSIO PRIMA: *Si loquamur de habitibus entitativis corporalibus, dicendum est eos nec de facto nec de potentia crescere in infinitum, sed usque ad certum terminum.*

592. Nam *de facto*, isti habitus sunt in aliquo organismo *individuali*, qui naturaliter habet combinationem simplicium qualitatum et humorum in tali vel tali gradu determinato. Quia ergo habitus isti entitativi fundantur in proportione illarum qualitatum et quidem in ordine ad bene vel male esse huius organismi, manifeste limitem quendam habent et *in minimo et in maximo*, ita ut si amplius intenderentur aut remitterentur, causaretur mors.

Similiter quantum *ad potentiam* absolute loquendo, quae sumitur per comparationem ad speciem organismi humani. Nam contemperatio humana est determinata secundum speciem, et propterea a natura dari solet, ut patet ex dictis supra, quaestione 51, articulo 1. Quod autem a natura datur, est determinatum et non in infinitum variabile; «est enim aliqua dispositio naturalis quae debetur humanae speciei, *extra quam nullus homo invenitur*», ut dicitur ibidem.

Nec ergo ex parte naturae *individuae* organicae neque ex parte *speciei* potest dari variatio infinita in intensione virium naturalium et aliorum corporum simplicium requisitorum ad vitam organicam. Unde et videmus quod functiones vegetativae intercipiuntur aut penitus impossibiles redduntur, quando elementa quaedam contemperantia organismum nimis intenduntur aut remittuntur.

593. CONCLUSIO SECUNDA: *Similiter si loquamur de dispositionibus quasi habitualibus sensuum internorum, videtur quod, licet multum possint evolvi et perfici, limitem tamen individualem et specificum habent, non quidem quatenus vitales, sed quatenus organicae et ideo intrinsece dependentes a corpore.*

594. *Ratione quidem sui et ut vitales* in indefinitum crescere possunt novis imaginibus et veterum renovatione: tum ex meliori experientia vel sensatione, tum ex maiori et meliori cultura, tum ex ipso progressu scientiarum, et sic metaphorae variantur aut renovantur iuxta diversas artes (militarem, aequestrem, navigativam, culinariam, aedificativam, tauromachiae, sutoriam, musicam) vel scientias (physicam, chimicam, mathematicam, philolophicam) aut experientias (v. gr. eorum qui multa viderunt itinerantes et cum hominibus loquentes).

Ratione tamen organorum a quibus intrinsece dependent, usque ad certum limitem tantum crescere possunt, tum secundum individuum, tum secundum speciem. Adest limes combinationi imaginum. Et sic videmus quod multa et mirabilia homo potest imaginatione et memoria sensitiva et cogitativa facere, tamen secundum quasdam regulas et usque ad certum limitem plus minusce variabilem. Et inde est quod, si plus debito exaltetur functio istarum potentiarum, evadit homo vere aegrotus et anormalis.

595. CONCLUSIO TERTIA: *Quantum vero ad habitus morales, qui in medio rationis et rei consistunt, potest quidem dari terminus in medio illo obiective sumpto, sive ex parte excessus sive ex parte defectus; at ex parte modi attingendi ipsum, cum magnam latitudinem habeat, semper in indefinitum potest homo magis et magis crescere, et ita semper, per totam vitam suam potest homo proficere intensive et extensive in virtutibus moralibus.*

596. Ex parte enim obiecti seu medii obiective sumpti, praesertim in iustitia, assignatur limes et terminus; sed ex parte attingentiae ipsius datur magna latitudo, praesertim per relationem ad synderesim et ad finem ultimum; similiter ex parte inhaerentiae subiecto.

597. CONCLUSIO QUARTA: *Sed praesertim in habitibus intellectualibus potest semper homo magis et magis proficere, tum ex parte subiecti, quod est intellectus possibilis, qui est capacitatis perceptivae infinitae; tum ex parte agentis, nempe luminis intellectus agentis, qui etiam semper potest magis et magis abstrahere et illuminare; tum etiam ex parte medii et obiecti materialis, quia semper possunt aliae et aliae conclusiones erui et extendi ad infinita obiecta materialia.*

598. Omnes partes sunt clarae. Et inde est quod in *cultura* morali et intellectuali homo semper potest progredi neque est assignabilis terminus ultra quem non possit amplius transire, tam individualiter quam collective. *De facto* omnis cultura individualis et collectiva est semper finita et determinata; sed *de potentia* potest et individualiter et collective semper augeri et crescere, tum intensive tum extensive, licet numquam evadat vere infinita, quia tunc non posset dari maior; et quidem hoc sive singuli habitus separatim, sive etiam omnes simul. Sic *artes* et *scientiae*. Cultura tamen *physica* non ita crescere potest.

§ II

DE AUGMENTABILITATE HABITUUM SUPERNATURALIUM

599. CONCLUSIO: *In statu viae omnes habitus supernaturales augeri possunt sine fine seu in indefinitum quantum est de se; tamen de facto perveniunt semper ad aliquem terminum definitum a Deo ex gradu gloriae ad quem praedestivavit unumquemque electum.*

600. *Prima pars* est certa secundum fidem, uti appareret ex damnatione Beguardorum et Beguinarum, qui dice-

bant «quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod redditur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit; nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri» [1].

Et Concilium Tridentinum: «Sic ergo —inquit— iustificati et amici Dei ac domestici facti [2], euntes de virtute in virtutem [3], renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem [4], hoc est, mortificando membra carnis [5] suae et exhibendo ea arma iustitiae [6] in sanctificationem: per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur sicut scriptum est: qui iustus est, iustificetur adhuc [7]; et iterum: ne verearis usque ad mortem iustificari [8]; et rursus: videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum [9]. Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia cum orat: da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum» [10].

Quod autem dicitur de ipsa gratia, dicendum est etiam de ceteris virtutibus infusis, quae a gratia dimanant et in gratia connectuntur, et ideo una cum gratia proportionaliter crescunt, ut supsa dictum est.

Ratio autem est, quia ex nulla parte potest assignari terminus augmento huiusmodi; non quidem ex parte propriae *causae*, quae Deus est, cuius potentia est infinita; non ex parte *subiecti* harum virtutum, quod sunt essentia et potentiae animae, non iam secundum capacitatem na-

---

1 Concilium Viennense, *Errores Beguardorum et Beguinarum*, Denz. 471.
2 *Ioan.* 15, 15; *Eph.* 2, 19.
3 *Psalm.* 83, 8.
4 *II Cor.* 4, 16.
5 *Col.* 3, 5.
6 *Rom.* 6, 13, 19.
7 *Apoc.* 22, 11.
8 *Eccli.* 18, 42.
9 *Iac.* 2, 24.
10 Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 10, Denz. 803.

turalem, sed secundum capacitatem obedientialem, quae est infinita; unde S. Thomas ait: «Capacitas creaturae dicitur secundum potentiam receptibilitatis, quae est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturae ad recipiendum: una naturalis, quae potest tota impleri, quia haec non se extendit nisi ad perfectiones naturales; alia est potentia obedientiae, secundum quod potest recipere aliquid a Deo, et talis capacitas non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat adhuc manet in potentia recipiendi a Deo» [1]; neque *ex parte sui*, quia omnia ista sunt participationes perfectionum infinitarum in Deo, quae ideo semper possunt magis et magis participari.

601. *Secunda pars* certo etiam constat, quia Deus hominibus, citra Christum, qui est Deus et homo, gratiam et gloriam dat secundum mensuram determinatam, eo quod praedestinatio est non solum ad gloriam ut sic, sed etiam concrete ad talem et tantum gradum vel perfectionem eius pro unoquoque, et secundum hoc mensurat quantitatem gratiae quam singulis efficaciter porrigit. Unde secundum id quod *sunt*, ut ait S. Thomas de caritate, omnes isti habitus supernaturales perveniunt ad aliquem terminum, ultra quem non augentur in quolibet homine [2].

Si quis autem in isto processu augmenti habituum sive naturalium sive supernaturalium, velit assignare aetates fundamentales potest eas iudicare ad similitudinem aetatum seu graduum qui ordinarie assignantur caritati, nempe incipiens, proficiens et perfectus, pro conditione uniuscuiusque habitus [3]. Sicut in sanitate, aliquis incipit sanari, postea convalescit, et demum perfecte et plene sanus est; et in scientiis aliquis incipit addiscere, dein progreditur ac demum sapiens efficitur, sapientia quidem semper relativa, non absolute et simpliciter.

---

1 S. Thomas, *De Veritate*, 29, 3 ad 3.
2 *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 4.
3 II-II, 24, 9.

Sicut ergo *in ordine physico* distinguitur in augmento vitali *pueritia* (incipiens), *adolescentia* (proficiens) et *virilitas* (perfectus), ita et *in ordine psychico et morali naturali* distinguitur *incipiens*, v. gr. sanari vel addiscere; *progrediens*, v. gr. in convalescendo vel addiscendo; et *perfectus*, v. gr. in sanitate vel in sapientia; et similiter *in ordine supernaturali* distinguitur, v. gr. caritas incipiens (*via purgativa*), caritas proficiens (*via illuminativa*) et caritas perfecta (*via unitiva*).

QUAESTIO LIII

DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM

602. Consequenter S. Thomas loquitur de corruptione et diminutione habituum. Quare autem loquatur de corruptione prius quam de diminutione explicatum est supra, in introductione ad quaestionem 51. Et loquitur tantum de habitibus ordinis naturalis, ut patet legenti litteram.

Ordo attem articulorum per se patet, nam: 1°, considerat ipsam corruptionem et diminutionem habituum *secundum se* (art. 1-2); 2°, investigat *causam* utriusque (art. 3). Nos autem, quia theologum agimus, non solum considerabimus corruptionem et diminutionem habituum naturalium, sed etiam supernaturalium vel infusorum, eo modo quo circa augmentum dictum est.

Corruptio, sicut nomine ipso patet (=*cum*: augmentativum, et ruptio=fractio violenta) est *totalis* destructio alicuius, et significat motum ab esse ad non esse simpliciter, sicut generatio importat motum a non esse ad esse simpliciter; *diminutio* vero est motus a maiori ad minus seu quo aliquid fit de magno seu maiori *minus*, et opponitur augmentationi, quae erat motus a minori seu imperfectiori ad perfectum, dum diminutio est motus

a perfecto ad imperfectum. Unde et in grammatica distinguuntur nomina in positiva, augmentativa et diminutiva, et in rhetorica adest figura quaedam quae dicitur diminutio vel attenuatio[1], et importat *intensitatem* minutionis (*de*-minutio).

[1] Tullius Cicero, *IV Rhetoric.* cap. 38, edit. cit., t. 9, pp. 246-247.

CAPUT I

DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM NATURALIUM

603. Ut autem debito modo procedamus, necesse est distinctim considerare corruptionem et diminutionem, quae est via ad corruptionem, nec est intelligibilis nisi per ordinem ad illam.

§ I

DE CORRUPTIONE HABITUUM NATURALIUM

604. Hac in re oportet separatim considerare: 1°, corruptionem habituum entitativorum; 2°, corruptionem habituum operativorum.

A. *De corruptione habituum entitativorum*

605. Habitus entitativi naturales sunt dispositiones habituales corporis in ordine ad animam, ut patet ex dictis supra, quaestione 50, articulo primo. Circa hos autem quaerimus duo: 1°, existentiam vel nudum factum corruptionis; 2°, naturam vel modum quo corrumpuntur.

1. *De exsistentia corruptionis horum habituum*

606. Experientia interna et externa constat habitus entitativos quandoque totaliter destrui vel corrumpi.

Nam habitus entitativi sunt sanitas, pulchritudo, vigorositas. Atqui haec omnia constat de facto destrui et corrumpi. Experimur enim nos amittere sanitatem, pulchritudinem, vigorem; et similiter experimur alios homines haec etiam amittere; neque invenire est in rerum natura tantam mutationm et variabilitatem sicut in istis.

2. *De natura vel modo corruptionis eorum*

607. CONCLUSIO: *Habitus entitativi corporales sunt corruptibiles per se et per accidens.*

608. *Probatur.* Illae formae sunt corruptibiles per se quae secundum se habent contrarium; per accidens vero quarum proprium subiectum est corruptibile. Atqui habitus entitativi corporales sunt formae quae secundum se habent contrarium et quarum proprium subiectum est corruptibile. Ergo habitus entitativi corporales sunt corruptibiles per se et per accidens.

Maior constat, quia forma potest dupliciter esse corruptibilis: per se, quando per se vel secundum se habet contrarium; nam contraria se mutuo expellunt formaliter seu per se ab eodem subiecto; per accidens vero, ad corruptionem proprii subiecti a quo dependet in fieri et esse et agere [1].

Minor vero patet, quia isti habitus vel dispositiones habent directe contraria, nempe sanitas, aegritudinem; pulchritudo, deformitatem; vigor, maciem; habent etiam *causam per se* obnoxiam contrarietati, nam habitus isti corporales pendent per se ex qualitatibus tertiae speciei, quae contratrietatem habent eo quod ad eas directe da-

---

S. Thomas, I, 75, 6; 89, 5.

tur motus alterationis, quae sine contrarietate concipi nequit, cum contrarietas sit essentialis ad motum physicum [1]; insuper proprium *subiectum* eorum est *corruptibile*, quia proprium subiectum est corpus humanum, quod est compositum et mortale seu corruptibile.

Et quaecumque causa exterior aliquo modo perturbat aut solvit temperiem et harmoniam istarum qualitatum, solvit aut perturbat plus minusve graviter ipsam sanitatem et ea quae ad sanitatem consequuntur, ut pulchritudo et vigor.

B. *De corruptione habituum operativorum*

609. Habitus operativi sunt multiplicis generis. Et, ut supra dictum est quaestione praecedenti, articulo 2, quidam subiectantur in potentiis organicis; quidam vero in potentiis inorganicis et pure spiritualibus.

1. *De corruptione habituum operativorum organicorum*

610. Isti habitus, qui subiectantur in potentiis organicis, sunt duplicis generis: quidam sunt *cognoscitivi*, ut dispositiones habituales sensuum internorum, maxime memoriae; quidam vero sunt *appetitivi* seu morales, qui subiectantur in potentiis appetitivis organicis, nempe in appetitu sensitivo irascibili, ut fortitudo; et in appetitu sensitivo concupiscibili, ut temperantia. Circa utrosque autem consideramus sive exsistentiam nudam seu factum, sive naturam vel modum quo causatur.

a) *De exsistentia corruptionis habituum operativorum organicorum*

611. Ut supra dictum est, *in sensibus internis*, nempe in imaginatione, cogitativa et memoria sensitiva dan-

---

[1] *In VII Physic.*, lect. 5, n. 2 et 6; I-II, 50, 1 ad 3; 52, 1 ad 3.

tur quaedam habilitates vel dispositiones habituales praeparantes habitus intellectuales et morales vel eos concomitantes et subsequentes pro executione vel usu eorum[1]. Iam vero constat experientia has habilitates ex toto aut ex parte nos amittere. Ita experimur nos quandoque non posse faciliter aliqua imaginari aut combinare imaginatione; et similiter constat nos quandoque ex toto vel ex parte amittere memoriam, cum tamen prius magna quadam facilitate combinationes imaginarias faciebamus, et in proptu ad memoriam revocabamus verba, res, personas, loca et alia huiusmodi.

Similiter experimur facilitatem quam prius habebamus ad *fortitudinem* vel *temperantiam* in diversis earum partibus ex toto vel ex parte amittere; ita ut qui prius erant intrepidi, modo timent omnia; et qui prius temperati in cibo et potu et venereis erant, postea voraces et ebrii et incontinentes evadunt.

b) *De natura vel modo quo corrumpuntur isti habitus*

612. CONCLUSIO: *Quantum vero ad causam vel modum quo corrumpuntur isti habitus organici, dicendum est eos esse corruptibiles et per se et per accidens.*

613. *Ratio* est, quia illi habitus quorum propria causa habet contrarium et quorum proprium subiectum est corruptibile, sunt conrruptibiles per se et per accidens, ut patet ex dictis de habitibus entitativis. Atqui propria causa istorum habituum operativorum organicorum habet contrarium et aliunde proprium eorum subiectum est corruptibile. Ergo habitus operativi organici sunt corruptibiles per se et per accidens.

Minor, ubi unice potest esse difficultas, probatur per partes.

614. Et quidem, *primo*, quantum ad habitus *cognoscitivos*. Nam isti habitus et habent causam contrariam et

---
1 I-II, 50, 3.

subiectum eorum est corruptibile. Possunt quidem habere causam contrariam tum efficienter, tum formaliter. *Efficienter*, quia propria causa efficiens horum habituum est exercitium regulatum et continuatum propriarum facultatum in ordine ad propria obiecta, sub directione rationis et voluntatis. Iam vero, quia ista directio pendet a libera voluntate, et similiter usus harum facultatum, potest homo contrarias operationes facere et contraria directione vel etiam penitus omittere aut interrumpere, et tunc efficienter causant contrariam dispositionem, quae *formaliter* expellit et quidem per se, dispositionem praecedentem.

Quod quidem maxime accidit quando dispositiones istae debebant subservire habitibus intellectualibus difficillimis, qui magnam depurationem phantasmatum et cogitativae pastulant, ut Mathematica et Metaphysica et principaliter sacra Theologia, quae altior et subtilior est, et postulat imagines et exempla valde depurata. Tunc enim, si continuo non corrigantur et veluti perpoliantur, grossae phantasiae occurrunt, quae non subserviunt speculationi; et, si non continuo quis se exerceat in his rebus a sensibilibus et naturalibus adeo remotis, surgunt sensibilia et naturalia et veluti suffocant ea quae naturaliter proxime ad supernaturalia et divina subserviunt. Sive ergo *per accidens*, propter totalem cessationem ab opere correspondenti, sive *per se*, propter operationes vel usum directe contrarium, causari potest *efficienter* dispositio directe contraria in his sensibus internis, quae *formaliter* et per se expellit debitam dispositionem praecedentem.

Similiter, *proprium eorum subiectum* est corruptibile; nam istae dispositiones vel habilitates sunt veluti in proprio subiecto in facultatibus organicis, quae corrumpi possunt in propriis operationibus. Potentiae enim istae pendent intrinsece ab organis corporeis quibus utuntur; haec autem organa sunt corruptibilia, quia pendent a qualitatibus tertiae speciei, ex quibus resultat eorum sanitas vel aegritudo. Alteratis ergo organis propriis, alterantur

ex consequenti potentiae sensitivae, et consequenter etiam operationes vel functiones earum, et istae dispositiones, quae in illis subiciebantur. Et hoc est quod dicebant Aristoteles et S. Thomas, quod scilicet motus alterationis potest per accidens afficere non solum qualitates primae speciei —quae sunt habitus entitativi corporales—, sed etiam qualitates secundae speciei, nempe naturales potentias organicas [1].

Huiusmodi autem alterationes organorum et potentiarum et functionum, quae quandoque sunt partiales quandoque totales, quandoque transitoriae quandoque permanentes, possunt habere causam quandoque *voluntariam*, propter abusum vitiosum; quandoque vero causam *involuntariam et naturalem*. Et huc venit Psychiatria vel id quod vocatur psychologia anormalis vel pathologica, quae solet distinguere alterationes vel perturbationes istas in *endogenas* et *exogenas*, prout causam proximam naturalem habent interiorem vel exteriorem.

Generatim, iam in ipsis sensibus *externis* dantur alterationes, quae in tres classes dividuntur, nempe in anaesthesiam, hyperaesthesiam et paraesthesiam, prout sensibilitas tollitur, exaltatur aut falsificatur aut perturbatur.

Quantum vero ad *imaginationem* habentur *hallucinationes et illusiones*, quantum ad vim *repraesentativam*, prout repraesentat quae non sunt ac si essent, vel quae sunt, sed alio modo ac sunt; quantum vero ad vim *reproductivam*, occurrit nimia tarditas aut nimia acceleratio.

Respectu autem *memoriae sensitivae*, occurrunt tres species alterationis, nempe amnesia, hypermnesia et paramnesia, quae possunt esse plus minus totales vel partiales, temporales vel perpetuae; amnesia autem *partialis* multipliciter distinguitur pro diversis obiectis, quae obliviscuntur, et ita dicitur aphasia, agraphia, alexia, prout quis oblitus est loqui, scribere aut legere. Quid simile accidere potest in *cogitativa*.

---

[1] *In VII Physic.*, lect. 5, n. 2.

615. *Secundo*, quantum ad habitus *appetitivos* organicos, qui sunt in appetitu irascibili et concupiscibili.

Etiam causa propria istorum habituum potest habere causam contrariam, et similiter proprium subiectum alterari et corrumpi potest.

In genere causae *efficientis*, causa contraria per se sunt actus directe contrarii actibus harum virtutum, idest actus timiditatis vel audaciae vel temeritatis, et actus intemperantiae; *per accidens* autem est totalis cessatio ab actibus harum virtutum. Hoc enim posito, cum facultates istae sensitivae naturaliter operentur, in actus quandoque disparatos, quandoque vero iam contrarios prorumpunt; et sic in genere causae efficientis actus contrarii sive directe sive indirecte, producunt corruptionem horum habituum.

Cum autem habitus aut dispositio contraria fuerit causata talibus actibus, tunc *formaliter* seu in genere causae *formalis* expellit habitum virtutum ab eodem subiecto.

Praeterea, isti habitus non dantur sine prudentia, quae indiget cogitativa quantum ad cognitionem singularium et inventionem medii et applicationem eius concretam. Si ergo functiones cogitativae alterantur propter alterationem proprii organi, ex consequenti alterantur functiones appetitus, et sic paulatim habitus eius corrumpi possunt.

Aliunde *proprium subiectum* horum habituum, quod est appetitus sensitivus irascibilis et concupiscibilis, corrumpi potest, cum sit potentia organica intrinsece dependens in esse et agere a proprio organo corruptibili, sicut pro potentiis sensitivis dictum est. Immo et videtur quod *appetitus sensitivus sit magis alterabilis quam sensus interiores*, quia isti non sunt alterabiles proprie loquendo nisi physice, propter improportionem sensibilium, dum appetitus est alterabilis et physcie seu physiologice et psychice, propter alterationem praecedentem sensuum. Unde S. Thomas scribit: «Passiones cognitivarum virtutum sunt a rebus secundum esse *spirituale*, et quia secundum hoc esse contraria non habent contrarietatem, ideo non causantur contrariae passiones ex contrariis in potentiis

cognoscitivis; sed passiones appetitivae sunt ex rebus secundum suum esse *naturale*, quia appetitus est de bono et malo, quae sunt in rebus, ut dicit Philosophus in VI Metaphysic.; et ideo cum secundum esse naturale contrarietatem habeant, *contrarias passiones causant*»[1]. Quae doctrina expresse traditur a S. Doctore etiam in Summa Theologica, in qua docet quod passio proprie dicta, quae est effectus proprius alterationis, *magis est in parte sensitiva appetitiva quam in apprehensiva*[2]. Quantum vero ad facultates apprehensivas ait S. Thomas iterum: «Claritas autem intensa non offendit visum in quantum agit actione animae, sed secundum hoc magis delectat; offendit autem in quantum agit actione naturae, calefaciendo et dissolvendo organum visus, et disgregando spiritus»[3].

Quandoque autem, immo et plerumque istae alterationes organicae afficiunt organa tum appetitus sensitivi tum sensuum internorum, et tunc evadunt *alterationes quasi compositae*, quae mutuo se influunt in diverso genere causae. De his tamen postea uberius dicetur.

2. *De corruptione habituum operativorum inorganicorum*

616. Habitus operativi inorganici sunt qui subiectantur in aliqua potentia inorganica vel pure spirituali. Et quia potentia inorganica est duplex tantum, nempe intellectus et voluntas, ideo habitus operativi spirituales sunt duplicis generis: alii, intellectuales, qui subiectantur in ipso intellectu; alii, morales, qui subiectantur in voluntate.

[1] *III Sent.*, dist. 26, q. 2, a. 3 ad 4.
[2] I-II, 22, 2 corp. et ad 3. Cf. I, 78, 3; *In I de anima*, lect. 2, nn. 22-24; lect. 10, nn. 157-162.
[3] *Supp.*, q. 85, a. 2 ad 2. Cf. *In III De anima*, lect. 2, nn. 597-598.

a) *De corruptione habituum intellectualium*

617. Habitus intellectuales sunt duplicis categoriae: alii enim sunt pure intellectuales seu speculativi, ut intellectus principiorum speculabilium, sapientia et scientia; alii vero sunt speculativo-practici seu partim intellectuales et partim morales, nempe intellectuales quoad formam et morales quoad materiam, ut synderesis et prudentia. Et quia non eodem omnino modo iudicandum est de illis, ideo oportet singillatin de eis disserere.

1) *De corruptione habituum pure intellectualium seu speculativorum*

618. Habitus intellectuales speculativi sunt duplicis classis: quidam sunt omnino *immediati*, nempe intellectus primorum omnino principiorum; alii vero sunt *mediati seu illativi*, nempe sapientia et scientia.

α) *De corruptione intellectus primorum principiorum*

619. *Factum* patet, quia experientia constat quosdam homines nondum habere usum expeditum huius habitus, ut videmus in parvulis nondum pervenientibus ad usum rationis; quosdam etiam amittere totaliter usum rationis, ut totaliter fatui vel amentes. Saltem ergo quantum ad usum potest amitti habitus primorum principiorum, et de facto amittitur quandoque aut perpetuo aut temporaliter.

Sed quaestio est *quomodo* iste habitus amitti vel corrumpi possit. Qua in re oportet caute distinguere inter ipsum habitum secundum se et usum vel exercitium eius.

620. CONCLUSIO: *Habitus intellectus primorum principiorum corrumpi potest quoad usum vel exercitium, non autem quoad essentiam vel radicem eius.*

621. *Probatur prima pars.* In statu enim praesenti unionis animae cum corpore, *usus* istius habitus pendet aliquo modo a facultatibus sensitivis, quia in hoc statu neque cognitio illa acquiritur neque exercetur iam habita nisi per conversionem ad phantasmata. Potest ergo usus istius habitus ex toto vel ex parte impediri modo perpetuo vel temporali ex aliqua alteratione organica, ex qua impeditur usus phantasiae.

622. *Probatur secunda pars.* Ipse autem habitus secundum se includit *adaequate* loquendo duo, nempe lumen intellectuale ipsius intellectus possibilis, et species intelligibiles primorum principiorum speculativorum, ut patet ex dictis supra, quaestione 51, articulo 1. *Per se* autem non potest corrumpi ex utraque parte: *Non quidem ipsum lumen intellectuale*, quia sive dicatur esse ipsa potentia intellectiva, quae, upote potentia naturalis, non habet contrarium, quia non datur directe contrarietas nisi in tertia specie qualitatis; potentia vero intellectiva vel illud lumen pertinet ad secundam vel ad primam speciem qualitatis. *Neque etiam species intelligibiles terminorum secundum se*, quia species intelligibiles non habent contraria, eo quod contraria eadem cognitione cognoscuntur: «In anima enim intellectiva, ut ait S. Doctor, non potest esse aliqua contrarietas; recipit enim secundum modum sui esse; ea vero quae in ipsa recipiuntur sunt absque contrarietate, quia *etiam rationes contrariorum in intellectu non sunt contrariae, sed est una scientia contrariorum*» [1].

Quod alibi clarius exponit his verbis: «Haec autem forma (intelligibilis), quae est *in anima*, differt a forma quae est *in materia*; nam contrariorum formae in materia sunt diversae et contrariae; in anima autem est *quodammodo* una species contrariorum; et hoc ideo quia formae in materia sunt propter *esse* rerum formatarum, formae autem in anima sunt secundum modum *cognoscibilem* et intelligibilem. Esse autem unius contrarii tollitur per esse alterius; sed cognitio unius oppositi non tollitur per cognitionem alterius, sed magis iuvatur (secundum illud: opposita iuxta se posita magis elucescunt). Unde formae oppositorum in anima non sunt oppositae» [1].

[1] I, 85, 6. Cf. I, 89, 5.

Neque etiam compositio vel divisio harum specierum vel terminorum possunt habere contrarium, quia contrarium horum principiorum non solum non potest dari in re, sed neque mente cogitari potest, un patet ex his quae ad quaestionem 51, articulo 1. dicta sunt.

Sed *neque per accidens* potest corrumpi ad corruptionem *proprii subiecti*. Nam proprium subiectum huius habitus quoad species intelligibiles est ipse intellectus possibilis, qui est incorruptibilis et immortalis; quantum vero ad lumen intelligibile, si ponatur distinctum ab ipsa potentia intellectiva, erit ipse intellectus possibilis; si vero dicatur non distingui ab ipsa potentia intellectiva, subiectabitur in ipsa essentia animae; patet vero quod eadem est ratio utrobique, cum etiam ipsa anima rationalis sit incorruptibilis et immortalis. Nullo ergo modo potest per accidens corrumpi habitus primorum principiorum quantum ad radicem vel essentiam eius.

Tamen phantasmata quae requirebantur ad acquisitionem specierum illarum et quae eas comitantur ad usum earum, sunt in sensibus interioribus, qui per accidens possunt corrumpi, ut dictum est; et ideo quoad istam dispositionem et usum et materialia, potest corrumpi iste habitus; sed hoc accidentale est et secundarium et non tangit ipsam essentiam habitus. Unde S. Thomas merito scribit: «Cognitio primorum principiorum *determinatur* in nobis per sensus, qui *si etiam destruantur*, non minuitur certitudo principiorum, quae non est acquisita, sed naturaliter insita» [2]. Non enim species intel-

[1] *In VII Metaphysic.*, lect. 6, n. 1405.
[2] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, art. 5 ad 4.

ligibiles pendent in esse a sensibus, licet in genere causae quasi materialis pendeant ab eis in fieri et in operari, in statu vitae praesentis.

Neque etiam potest amitti *per accidens* ex oblivione, propter cessationem ab opere, quia usus istius habitus, quandiu manet usus ipsius rationis, est continuus, eo quod imbibitur semper in omni cognitione.

Aliis verbis: iste habitus non potest corrumpi nec per se nec per accidens.

Non per se, quia vel corrumperetur per modum causae *efficientis* ab actibus contrariis eiusdem intellectus, et hoc est impossibile, cum nemo possit vel cogitare contrarium primis principiis; vel per modum causae *formalis,* ex habitu vel dispositione contraria, quae dari nequit, cum non possit a natura rationali emanare, neque actibus acquiri eo ipso quod non possunt dari actus contrarii. Alterationes autem corporales non redundant directe in ipsum intellectum.

Neque per accidens, quia hoc esset vel in genere causae *quasi materialis,* propter corruptionem proprii subiecti, quod est impossibile, cum subiectum eius proprium sit intellectus possibilis, qui incorruptibilis est; vel in genere *causae efficientis,* per *totalem* cessationem ab opere, ex quo sequeretur oblivio totalis, quod etiam est impossibile, eo quod *usus* istius habitus est *continuus.*

Solum ergo potest deficere sensus internus, qui iuvavit ad acquirendas species primorum terminorum et concurrit ad usum earum; sed haec dependentia non est in esse, sed solum et partialiter in fieri et agere. Unde alteratio sensuum potest impedire acquisitionem specierum, si fuerit congenita, vel etiam usum posteriorem; at minime potest tangere ipsum habitum iam exsistentem ut corrumpat eum.

β) *De corruptione habituum intellectualium mediatorum*

623. Est *factum* experientia comprobatum habitus speculativos mediatos seu illativos quandoque corrumpi; experimur enim nos quandoque sat bene cognoscere scientiam aliquam v. gr. mathematicam vel Metaphysicam vel sacram Theologiam, et postea eam ignorare. Quod si totam humanitatem consideremus, possumus assignare tempora in quibus quaedam scientiae maxime florebant, quae tamen postea omnino disparuerunt.

Sed oportet videre *quomodo* corrumpi possunt huiusmodi habitus.

624. conclusio: *Habitus intellectuales mediati possunt corrumpi per se et aliquo modo per accidens.*

625. *Probatur. Per se* quidem in genere causae *efficientis, per errorem seu deceptionem.* Nam ille habitus est corruptibilis per se cuius propria causa habet contrarium. Atqui propria causa habitus intellectualis illativi habet contrauim. Propria enim causa habitus illativi speculativi est syllogismus demonstrativus, ut dictum est supra, quaestione 51, articulo 2; syllogismus autem demonstrativus potest habere contrarium, tum ex parte *materiae* syllogismi, quae sunt praemissae, quando sunt falsae; tum ex parte *formae* syllogisticae, quae est ordo terminorum in propositionibus subsumptis, quando fit syllogismus sophisticus. Et quia habitus scientiae una sola demonstratione poterat causari quantum ad essentiam suam, ita et uno solo falso ratiocinio potest destrui vel corrumpi, quando cadit super *primam* conclusionem, quae radix est ceterarum, quae tunc etiam in genere causae *formalis* corrumpit [1].

S. Thomas alibi exposuit valde clare istum duplicem modum concludendi falsum ex defectu materiae vel ex defectu formae syllogisticae, his vebis: «Contingit autem per aliquem syllogismum deceptionem accidere dupliciter: uno modo, quia peccat in *materia,* procedendo ex falsis; alio modo, quia peccat in forma, non servando debitam figuram et modum. Et est differentia inter hos modos, quia ille qui peccat in *materia,* syllogismus est,

---

[1] Cf. Caietanum, *In II-II,* q. 5, a. 4, n. 3; D. Bañez, *in h. l.*

cum observentur omnia quae ad formam syllogismi pertinent; ille autem qui peccat in *forma* non est syllogismus, sed paralogismus, idest apparens syllogismus.

In dialecticis quidem utroque modo contingit deceptionem fieri; unde et in I Topicorum, cap. 1, Aristoteles facit mentionem de litigioso (=captioso), qui est syllogismus (=fallacia vel sophisma), et de peccante in forma, qui non est syllogismus, sed apparens»[1].

Et inde est quod solent nominari diverso nomine, ita ut defectus *in forma* dicatur *paralogismus*, et solet esse *praeter intentionem*; dum e contra defectus *in materia* cum perfectione in forma dicitur *fallacia vel sophisma*, quia solet fieri disputando *intentione fallendi aut decipiendi adversarium.*

626. *Per accidens* autem isti habitus aliquo modo corrumpi possunt, alio autem modo non.

In genere quidem causae *efficientis* possunt *per accidens* corrumpi *propter oblivionem*, quae advenit ex defectu operationis seu propter totalem cessationem ab exercitio habitus; ad memoriam enim requiritur meditatio, hoc est, continuum exercitium, quo cessante memoriae succedit oblivio. Unde S. Doctor oblivionem reducit ad cessationem *totalem* ab opere[2]; cessatio autem ab opere reducit ad causam efficientem *per accidens*, hoc est, removentis prohibens[3]. Qua in re S. Thomas perpolivit, aut si mavis, retractavit ea quae prius docuit in I Parte, quaestione 89, articulo 5. Nam in I Parte dicit quod «Philosophus in libro praedicto (De longitudine et brevitate vitae) ponit duos modos quibus scientia *per se* corrumpitur, scilicet *oblivionem, ex parte memorativae*, et deceptionem ex parte argumentationis falsae». Et manifeste loquitur de memoria sensitiva, quia statim subdit quod

---

1 S. Thomas, *In I Post.*, lect. 22, n. 2. Cf. *De Verit.* 16, 2 ad 1; 17, 2 corp.

2 *Hic*, a. 3, arg. sed contra.

3 *Ibidem*, corp.

«hoc non habet locum in anima separata». Hic autem (art. 1), quae se habent «ex parte inferiorum virium sensitivarum», inter quas est memoria sensitiva[1], reducit ad corruptionem *per accidens*. Habetur ergo vera retractatio seu evolutio doctrinae.

Et vere ita debebat fieri. Nam quando scripsit I Partem nondum posuerat specificam distinctionem inter simplicem dispositionem habitualem et ipsam essentiam habitus, quam distinctionem primo docuit in hoc tractatu, quaestione 49, articulo 2 ad 3, corrigendo priorem positionem. Iam vero id quod se habet ex parte memoriae sensitivae et aliarum virium sensitivarum, *pertinet ad modum seu statum vel dispositionem habitualem*, qui modus nequit causari uno solo actu, sicut ipsa essentia scientiae, sed pluribus actibus iteratis, ut ait supra, quaestione 51, articulo tertio. Id ergo quod se habet ex parte harum virium est extra ipsam essentiam habitus scientifici, et ideo potest dici *accidentale*; et consequenter, corruptio memoriae per oblivionem, *per accidens* se habet ad corruptionem ipsius habitus scientifici; et tamen in I Parte adhuc considerabatur ut per se et essentialiter pertinens ad ipsum habitum scientiae, licet materialiter et *per posterius* quam ipsae species intelligibiles.

Mutato ergo conceptu habitus proprie dicti, mutatur etiam conceptus ipsius essentiae habitus scientifici, et consequenter mutari debebat conceptus explicationis corruptionis scientiae per errorem et oblivionem; causa enim corruptiva eius quod est accidentale, per accidens corrumpit rem cuius est accidens illud.

Caietanus —licet non perspexerit variationem istam— optime expressit mentem S. Thomae in I Parte, quando ait: «Adverte quod nostra scientia dicitur *per se* corrumpi *per deceptionem* quantum ad id quod est *in intellectu*; et *per oblivionem* secundum quod est *in partibus sensitivis.* Iam enim dictum est quod est partim hic et partim

---

1 I-II, 50, 3; 67, 2.

ibi. Ita quod corruptio per oblivionem respicit *per se* scientiam *ut est in parte sensitiva, non ut in intellectu*»[1].

In genere vero causae *quasi materialis*, idest *ex parte subiecti*, habitus scientiae quodammodo corrumpi potest, quodammodo non. Ex parte quidem subiecti *proprii et principalis*, nequit per accidens corrumpi, quia est intellectus possibilis, qui ipse incorruptibilis est; ex parte vero subiecti *secundarii et extensivi vel adnexi*, nempe ex parte sensuum internorum, corrumpi potest per accidens, quia et istae potentiae, cum sint organicae, sunt corruptibiles.

Quia vero omne quod est per accidens oportet reducere ad id quod est per se, iste modus corruptionis per accidens habituum scientiae non consummat corruptionem ipsam nisi quatenus iungitur corruptivo *per se*, ad quod disponit *materialiter vel efficienter*. Nam ex alteratione partis sensitivae sequitur alteratio dispositionis in illa, ex qua resultat cessatio ab actu considerandi ea quae ad scientiam pertinent, et cum hoc plerumque operationes vel actus et phantasmata disparata, immo et contraria; ex quibus facile potest homo enuntiationes falsas admittere vel syllogismos apparentes facere, per quos destruitur per se habitus scientiae. Unde Caietanus optime vidit quod haec omnia quae sunt ex parte sensitiva, si absolute et secundum se considerentur, non afficiunt nec tangunt ipsum habitum scientiae, nec ideo corrumpere valent ipsum; quatenus vero sunt *occasio vel dispositio errandi circa propositiones vel syllogismos*, tunc *dispositive* quidem et *per accidens* concurrunt ad ipsam destructionem habitus scientifici. Quod *si deceptio non occurreret, numquam habitus ipse scientificus destrueretur*, qui de se adeo perdurabilis est sicut ipse intellectus possibilis et sicut species intelligibiles. «Intendit auctor —ait Caietanus— quod impedimenta partis sensitivae, si non ultra progrediantur, non corrumpunt *scientiam*, sed

[1] Caietanus, *In I*, 89, art. 5, n. 3.

actum eius, et ideo remanet (habitus scientiae) post mortem; si autem vel per diuturnam cessationem vel positivam imaginationem ad hoc progrediantur quod propositiones contrariae aut syllogismus (=contrarius) fiat, quamvis ex parte sensitiva *inchoet tantum* corruptio haec, *efficaciter* (=effective) tamen corrumpitur scientia per huiusmodi oblivionem vel deceptionem»[1]. Sed de his postmodum uberior redibit sermo.

2) *De corruptione habituum intellectualium practicorum*

627. Consequenter consideranda est corruptio habituum intellectualiuum practicorum. Et isti sunt duplicis generis: alii sunt circa *factibilia*, ut ars —de qua proportionaliter valent quae de scientia modo dicta sunt, ut etiam adnotat S. Thomas, in II-II, quaestione 47, articulo 16, initio corporis et ideo non est necesse de illa specialiter agere—; alii vero sunt circa *agibilia*, idest circa actus humanos, et ex hac parte sunt etiam habitus *morales*; et isti sunt *duo*, nempe *synderesis*, quae est habitus primorum principiorum moralium, ideoque est habitus immediatus; et *prudentia*, quae est habitus conclusionum moralium prout sunt actus virtutis; et de his est specialiter agendum. Nam licet S. Thomas hic dicat[2] quod de his est eadem ratio sicut de scientia et opinione, revera tamen datur differentia quaedam, specialiter quantum ad prudentiam, ut ex dicendis apparebit.

α) *De corruptione synderesеos*

628. Est *factum* experientia comprobatum synderesim —quae nominat habitum primorum principiorum practicorum— non semper expeditam esse, propter defectum usus rationis, ut videmus in pueris nondum pervenientibus ad usum rationis, et in adultis qui in insaniam perpetuam vel temporalem inciderunt. Saltem ergo

[1] Caietanus, *In I-II*, 53, 3, n. 3.
[2] S. Thomas, I-II, 53, 1.

quantum ad *usum*, synderesis potest plene impediri ad tempus vel in perpetuum.

Sed oportet statim videre *quomodo* synderesis corrumpi possit, ex quo apparebit utrum de facto corrumpatur quoad usum tantum vel etiam quoad ipsam essentiam seu radicem habitus.

S. Thomas expresse versavit hanc quaestionem circa synderesim, multo magis explicite quam circa intellectum principiorum. Et sic in II Sent., dist. 39, q. 3, art. 1, quaerit «utrum superior scintilla rationis (=synderesis) possit extingui (=corrumpi vel destrui)»; in De Veritate, quaestione 16, art. 2: «utrum synderesis possit peccare»; et art. 3: «utrum synderesis in aliquo extinguatur»; et in I-II, quaestione 94, art. 5-6: utrum lex naturae mutari possit et *a corde hominis aboleri*.

629. conclusio: *Dicendum est quod synderesis potest corrumpi quantum ad usum eius, et quantum ad dispositionem quamdam materialem sive ex parte obiecti sive ex parte subiecti; nullo autem modo potest corrumpi ipsa essentia synderesis.*

630. *Probatur prima pars* (quoad usum). Usus synderesos non habetur sine expedito usu rationis naturalis. Atqui usus rationis naturalis impediri potest totaliter propter defectum sensuum internorum provenientem ex insufficienti evolutione naturali, ut in parvulis, vel ex aegritudine aliqua, ut in fatuis et amentibus. Unde S. Thomas: «Contingit —ait— actum synderesis extingui (in quantum actus eius omnino intercipitur) in non habentibus usum liberi arbitrii nec aliquem usum rationis, et hoc *propter impedimentum proveniens ex laesione organorum corporalium*, a quibus ratio nostra accipere indiget»[1]. Et iterum: «Eo quod habitualiter inest, quandoque aliquis *uti* non potest *propter aliquod impedimentum*, sicut homo non potest uti habitu scien-

[1] *De Veritate*, 16, 3.

tiae propter somnum; et similiter *puer* non potest *uti* habitu intellectus principiorum vel etiam lege naturali, quae ei habitualiter inest, *propter defectum aetatis*»[1].

631. *Secunda pars* (quoad dispositionem quamdam naturalem tum ex parte subiecti tum ex parte obiecti). Nam etiam species intelligibiles principiorum synderesis abstrahuntur a phantasmatibus; quando ergo phantasmata desunt totaliter, defectus adest ex parte obiecti materialis, vel potius ex parte *quasi materiae obiecti*; similiter iste habitus extenditur aliquo modo ad *sensus interiores*, qui sunt ei *quasi adnexi*, et corruptibiles sunt. Ex hac ergo parte potest corruptio afficere synderesim, sicut et alios habitus intellectuales speculativos.

632. *Tertia pars* (quantum ad ipsam essentiam habitus, synderesis nullo modo corrumpi potest). Nam, si aliquo modo posset corrumpi quantum ad essentiam habitus, aut corrumperetur directe et per se aut indirecte et per accidens. Atqui neutro modo corrumpi potest.

Non per se, quia vel corrumperetur ab aliquo in genere causae efficientis, vel in genere causae formalis. Non *in genere causae efficientis*, quia haec causa non posset esse nisi actus directe et positive contrarius actibus synderesis; hoc autem est absolute et psychologice impossibile, nam synderesis non procedit per syllogismos ideoque nequit errare per paralogismum; aliunde, speciebus intelligibilibus, ex quibus formantur prima iudicia practica, non potest dari contrarium neque in seipsis neque in compositione et divisione, quae immediata est et per se nota omnibus hominibus; unde nequit dari falsitas vel error ullus in eis. Optime ergo S. Thomas ait: «*Sicut* autem non contingit in speculativis intellectum errare circa cognitionem primorum principiorum, quin *semper* repugnet *omni* ei quod contra principia dicitur, *ita* etiam non contingit errare in practicis in principiis primis; et

[1] I-II, 94, 1 ad arg. sed contra.

propter hoc dicitur quod haec superior rationis scintilla, quae synderesis est, extingui non potest, sed semper repugnat *omni* ei quod contra principia, naturaliter sibi indita, est»[1].

Neque *in genere causae formalis*, quia hoc non posset fieri nisi per species intelligibiles contrarias et per lumen intelligibile contrarium. Atqui *species* intelligibiles, maxime illae primae, non habent contrarium, ut supra ostensum est; aliunde, *lumen* illud intellectuale vel est ipsa naturalis potentia intellectus possibilis, vel saltem est dimanatio quaedam naturalis ex ipso, indita ab auctore naturae; haec autem, utpote proprie vel reductive pertinentia ad secundam speciem qualitatis, non habent contrarium. Unde iterum S. Doctor: «Dicendum —inquit— quod synderesis extingui, intelligi potest dupliciter: uno modo, quantum *ad ipsum lumen habituale*, et sic impossibile est quod synderesis extinguatrur sicut impossibile est quod anima hominis privetur *lumine intellectus agentis*, per quod principia prima in speculativis et operativis nobis innotescunt; hoc enim lumen est *de natura ipsius animae*, cum per hoc sit intellectualis»[2].

Insuper, si daretur talis contraria dispositio seu habitus, aut esset habitus innatus aut acquisitus actibus nostris. *Non acquisitus* actibus nostris, quia nequeunt dari actus directe contrarii actibus synderesis, ut modo dictum est; *non innatus*, quia a natura nequeunt procedere habitus sibi *directe contrarii*, multoque minus habitus *falsus*, quia tunc falsitas refunderetur in Auctorem ipsius naturae, qui Deus est. Nullo ergo modo dari potest talis habitus contrarius.

Neque etiam *per accidens* potest corrumpi ipse habitus syndereseos. Haec enim causa per accidens corrum-

[1] *III Sent.*, dist. 39, q. 3, a. 1. Cf. etiam *De Verit.* 16, 2 et 3; I-II, 94, art. 5-6, ubi ait quod prima principia legis naturalis, quae sunt iudicia synderesis, *nequeunt mutari per modum subtractionis neque* a cordibus hominum *deleri* possunt.
[2] *De Veritate*, 16, 3.

pens synderesim, deberet ipsam corrumpere in genere causae *quasi materialis* seu ex parte proprii subiecti, aut in genere causae *efficientis*, per oblivionem seu cessationem ab operibus seu actibus syndereseos. Atqui neutro modo potest dari haec corruptio per accidens.

Non quidem *ex parte proprii subiecti*, quia proprium subiectum syndereseos est ipse intellectus possibilis ut practicus, qui est omnino incorruptibilis et immortalis; *neque etiam per oblivionem* causatam ex diuturna cessatione ab opere, quia usus syndereseos, quandiu durat usus rationis, est continuus per totam vitam. Unde S. Thomas: «Habitus —inquit— qui est in sola ratione, potest *oblivioni* tradi, sicut ars et scientia, *nisi sit habitus naturalis, sicut intellectus*» et *synderesis*[1], «qui *nulla oblivione vel deceptione* corrumpi possunt»[2]. *Ceterum*, termini horum principiorum, cum sint universalissimi et obvii omnibus, semper et continuo occurrunt in omnibus naturaliter. Neque ergo dari potest cessatio totalis ab opere syndereseos, neque possunt occurrere termini disparati aut contrarii per quos intellectus humanus disponatur ad contraria iudicia proferenda.

β) *De corruptione prudentiae*

633. Circa *factum* corruptionis prudentiae, quae est habitus illativus seu mediatus intellectus practici, nullum dubium esse potest. Experimur enim quosdam homines esse valde imprudentes cum tamen prius valde essent prudentes; et similiter in nobismetipsis experimur mutari a prudentia ad imprudentiam magna facilitate.

Solum ergo potest esse difficultas circa *modum* quo prudentia corrumpitur aut saltem potest corrumpi.

634. CONCLUSIO: *Dicendum est prudentiam corrumpi posse quantum ad ipsum habitum seu essentialiter, sive per se sive per accidens.*

[1] *In VI Ethic.*, lect. 4 in fine.
[2] I-II, 53, 1.

635. *Probatur. Per se* quidem corrumpi potest duplici genere causae, scilicet in genere causae *formalis* per habitum imprudentiae, quae est ei directe contrarius, et ideo formaliter eam expellit ab eodem subiecto; in genere autem causae *efficientis* per actus imprudentiae repetitos, qui efficienter per se primo causant habitum imprudentiae, et per se secundo seu consequenter causant debilitationem prudentiae et finaliter eius expulsionem a ratione practica.

Isti autem actus sunt *praecipitatio*, quae opponitur consilio; *inconsideratio*, quae contrariatur iudicio; et *inconstantia et negligentia*, quae directe contrariantur imperio vel praecepto. Et quidem, tam *inconsideratio* quam *praecipitatio* terminantur *ad errorem* minorum syllogismi practici, et *formae* syllogizandi seu deducendi. Sub principiis enim universalibus syndereseos adsunt propositiones minus universales scientiae moralis, circa quas dari potest error sicut et circa alias scientias pure speculativas; et *insuper*, facta particularia et conditiones individuales, quae a cogitativa subministrantur ut subsumantur sub universalibus. Si quis ergo non sufficienter considerat, errare potest circa istas praemissas absolute vel secundum se consideratas. Deinde, quando ex praemissis per se veris vult concludere ultimum iudicium practico-practicum, si sollicitudinem non adhibeat, sed praecipitanter concludere velit, non servat debitum modum syllogizandi practice, et ita inopportune applicat ea quae recta erant. Sicut ergo in ratione speculativa error poterat contingere quantum ad materiam vel quantum ad formam syllogismi, ex quo sequebatur corruptio scientiae, ita in ratione practica modo simili contingere potest error circa materiam practicam ex inconsideratione, et error circa formam concludendi vel syllogizandi practice ex praecipatatione. Unde S. Thomas, explicans quomodo possit errare conscientia, quae se habet veluti conclusio rationis practicae, scribit: «Conscientia nihil aliud est quam applicatio scientiae ad aliquem specialem actum; in qua quidem applicatione contingit esse

errorem *dupliciter*: uno modo, quia id quod applicatur, *in se errorem habet*; alio modo, ex hoc quad *non bene applicatur*, sicut in syllogizando contingit peccatum dupliciter, vel ex eo quod aliquis *falsis* utitur, vel ex eo quod *non recte* syllogizat» [1]. Patet ergo quod prudentia efficienter per se corrumpitur per errorem speculativo-practicum et practico-practicum.

Inconstantia autem et *negligentia* magis directe contrariantur prudentiae, quia contrariantur directe praecepto et imperio, quod est actus formalis et principalis prudentiae. Hae autem ex passionibus appetitus principaliter originantur, et ideo *passiones* deordinatae —quae etiam perturbare possunt iudicium rationis practicae— maxime causant corruptionem prudentiae, quando tamen afficiunt *ipsam voluntatem. Error* ergo et inconstantia et negligentia voluntatis efficienter causant per se corruptionem prudentiae.

636. *Per accidens* autem corrumpitur prudentia duplici etiam genere causae, nempe in genere causae *quasi materialis seu ex parte subiecti*, et in genere causae *efficientis.*

Ex parte quidem *subiecti*, non quidem principalis, quod est ratio practica, quae est incorruptibilis, sed ex parte subiecti *secundarii*, nempe cogitativae, *a quo multo magis pendet prudentia quam habitus pure speculativi*, eo quod cogitativa praebet prudentiae cognitionem *medii* singularis et concreti. Attamen haec dependentia non est omnino essentialis, quia singulare illud non cadit sub prudentia in syllogismo practico nisi *quatenus subsumitur sub universali syndereseos vel universaliori rationis superioris vel inferioris*, quae praebet universalia scientiae moralis [2].

In genere etiam causae *efficientis*, non quidem propter *cessationem ab opere*, quia usus prudentiae est *con-*

---

[1] *De Veritate*, 17, 2.
[2] II-II, 47, 3 ad 3; 49, 2 ad 1 et 3.

tinuus per totam vitam humanam. Unde S. Thomas ait: «Habitus qui est in sola ratione (=speculativus) potest oblivioni tradi, sicut ars et scientia, nisi sit habitus naturalis, sicut intellectus; prudentia autem non datur oblivioni per dissuetudinem; aboletur autem *cessante appetitu recto* qui, quandiu manet, *continuo exercetur* circa ea quae sunt prudentiae, ita quod oblivio subrepere non potest»[1]. Sed *tamen oblivio dari potest circa prudentiam duplici sensu,* nempe *uno modo* quantum ad principia universalia scientiae moralis, quae oblivione per accidens corrumpi potest, sicut et generatim habitus scientiae, ut dictum est supra; *alio modo,* quatenus contraponitur parti eiusdem quasi integrali prudentiae circa singularia praeterita, quae est *memoria,* et ita potest esse occasio erroris in syllogismo practico[2]. Optime ergo S. Thomas ait quod «prudentia *non directe* tollitur per oblivionem»; «oblivio tamen potest *impedire* prudentiam in quantum procedit ad praecipiendum *ex aliqua cognitione* quae per oblivionem tolli potest»[3]. Quocumque autem modo fiat, *numquam* corrumpitur prudentia *uno solo actu,* sicut scientia, quia nec generabilis est uno solo actu[4].

b) *De corruptione habituum moralium*

637. Habitus moralis subiectatus in potentia inorganica est unus tantum, nempe *iustitia,* quae subiectatur immediate in ipsa voluntate. Videndum est ergo quomodo iustitia corrumpi possit, nam certum est et *experientia comprobatur quod iustitia quandoque* totaliter deperditur seu *corrumpitur.*

638. CONCLUSIO: *Habitus iustitiae corrumpi potest et per se et per accidens.*

1 *In VI Ethic.,* lect. 4 in fine.
2 II-II, 47, 16; 49, 1.
3 II-II, 47, 16.
4 I-II, 63, 2 ad 2; 71, 4.

639. *Probatur. Per se* quidem, tum in genere causae *formalis* per habitum iniustitiae, qui eam formaliter expellit ab eodem subiecto, tum in genere causae *efficientis* per actus iniustos repetitos, qui procedunt ex defectu prudentiae recte iudicantis et energice imperantis. Iudicium enim, quod est proprius actus iustitiae, pertinet directive et elicitive ad prudentiam, exequutive autem seu quantum ad usum ad iustitiam ipsam[1]. Defectus ergo istius executionis, per executionem directe oppositam, maxime tribuitur rationi iudicanti, nempe actui imprudentiae. «Unde —optime concludit S. Thomas— per iudicium rationis (practicae) in contrarium moventis... corrumpitur habitus virtutis»[2].

Et quidem istud pravum iudicium practicum rationis *directe et per se* provenit ex errore vel ignorantia practica ipsius rationis prudentialis, vel etiam ex malitia ipsius voluntatis eligentis erroneum iudicium, ut liberius peccet; *indirecte* autem et *per accidens* provenit ex passione appetitus sensitivi, qui perturbat organa sensuum internorum et aestimationem cogitativae et hac mediante nata est distrahere vel attrahere iudicium practicopracticum rationis prudentialis; et consequenter, mediante ratione, in appetitum rationalem influit.

640. *Per accidens* autem corrumpi potest iustitia, *non quidem in genere causae quasi materialis* seu ex parte *subiecti* proprii, quia istud subiectum est voluntas ipsa, quae immortalis et incorruptibilis est; sed solum in genere causae *efficientis.* Attamen non eodem modo sicut pro habitu scientiae vel prudentiae, quia *nullo modo per oblivionem,* eo quod usus iustitiae est continuus et modus operandi eius non est formaliter cognoscitivus, sed instinctivus et vitalis; *sed per passiones appetitus sensitivi,* modo dicto, scilicet non moventes voluntatem per modum agentis directe, sed per modum obiecti, me-

1 I-II, 60, 1.
2 I-II, 53, 1.

diante motione rationis practicae. Sed de modo quo talis influxus fieri possit, ut virtutes tollantur, postea redibit sermo, quando finiatur expositio diminutionis habituum naturalium.

§ II

DE DIMINUTIONE HABITUUM NATURALIUM

641. Consequenter agendum est de diminutione habituum naturalium, quae est dispositio quaedam et via ad corruptionem eorum.

Est autem notandum quod diminutio habitus potest esse *duplex*: una quantum ad *actus* seu *mere accidentalis*; alia *quantum ad ipsam radicem vel essentiam habitus seu essentialis*.

Et quidem utraque potest esse et intensiva et extensiva. Diminutio *intensiva accidentalis* vel quantum ad actum est quando actus versans circa idem obiectum, minus intense seu minori conatu et perfectione exercetur; *extensiva* autem quando pauciora obiecta attingit vel pauciores actus exercet. Diminutio intensiva posset dici *remissiva*; extensiva vero potest dici *restrictiva*, per contrapositionem ad nomina augmenti.

Similiter diminutio *essentialis* potest esse et *intensiva* et *extensiva* vel potius *restrictiva*: *prima* est per ordinem ad *idem* subiectum, cui debilius inhaeret, et per ordinem ad *idem* formale obiectum, cui minus profunde adhaeret; *alia* est per ordinem ad plura obiecta materialia seu plures quasi partes obiecti materialis adaequati vel per ordinem ad plures partes subiecti, si forte occurrat eas habere. Attamen, ut haec diminutio quasi extensiva sit essentialis seu afficiat ipsum habitum, necesse est quod partes istae quasi materiales obiecti non sint mere per accidens et materiales, sed quodammodo etiam formales seu per se secundo, ita ut sit diminutio extensiva intrinseca et non solum mere extensiva, quia

tunc erit mere accidentalis et potius refertur ad diminutionem extensivam ex parte actus.

Et *ratio* est, quia augmentum, cui directe contrariatur diminutio, ita distinguebatur: contraria autem contrario modo proportionali subdistinguuntur. Et sicut considerando augmentum, maxime respiciebamus augmentum essentiale, ita etiam considerantes diminutionem oportebit maxime attendere ad diminutionem essentialem ipsius habitus.

Ut autem debito modo procedamus, considerabimus, primo, diminutionem habitus entitativi; secundo, diminutionem habitus operativi.

A. *De diminutione habituum entitativorum*

642. Certum est *habitus corporales seu entitativos* quandoque paulatim diminui, sicut videmus quod sanitas paulatim decrescit et pulchritudo paulatim marcescit et robur veluti per passus declinat. Nec enim repente solent isti omnes habitus corporales deperdi seu corrumpi, sed paulatim et quasi insensibiliter, eo fere modo quo eorum augmentatio fiebat.

Sed difficultas est in assignando *modo et causa quibus diminuuntur*. Et quidem, proprie loquendo, non diminuuntur *accidentaliter*, quantum ad actus vel exercitium, quia isti habitus non sunt immediate operativi. Unde sicut non augebantur quantum ad actus —quos per se primo non habent— ita neque quoad actus minuuntur, nisi per accidens et ex consequenti.

Oportet ergo videre quomodo minuantur *essentialiter* vel quod ipsum habitum.

643. CONCLUSIO: *Habitus entitativi naturales diminuuntur essentialiter tum per ordinem ad proprium subiectum, nempe ad corpus organicum in quo sunt, tum per ordinem ad proprium finem vel terminum ad quem sunt, hoc est, ad bene et perfectum esse corporis viventis.*

644. *Ratio* est, quia isti habitus, utpote formae quaedam accidentales relativae, latitudinem habent tum quoad inhaerentiam in subiecto, tum quoad accessum ad terminum ad quem sunt; et ideo sicut hoc duplici capite possunt intendi, ut dictum est quaestione praecedenti, ita etiam et hoc duplici respectu diminui possunt.

Causa autem istius diminutionis *per se* quidem est diminutio seu remissio qualitatum primariarum ex quibus immediate pendet contemperatio debita humani organismi; *per accidens* vero est diminutio eorum quae iuvant et conservant aequilibrium debitum harum qualitatum organicarum, ut diminutio exercitii proportionati, defectus debitae nutritionis aut respirationis; excessus laboris physici aut mentalis, ultra id quod vires physicae organismi naturaliter ferre possunt. Haec enim omnia nata sunt aliquo modo turbare et rumpere aequilibrium et harmoniam virium biochimicarum, ex quibus pendet immediate debita contemperatio et sanitas humani corporis.

B. *De diminutione habituum operativorum*

645. Ut saepius dictum est, habitus operativi sunt qui immediate subiectantur in potentiis operativis. Quia vero potentiae operativae hominis sunt duplicis generis, nempe potentiae organicae et potentiae inorganicae seu pure spirituales, ideo et habitus operativi quidam sunt veluti organici et alii veluti pure spirituales et inorganici. Et quia non est eadem ratio utrorumque quantum ad omnia, ideo loquentes de eorum diminutione, oportebit separatim de illis tractare.

1. *De diminutione habituum organicorum*

646. Habitus operativi organici sunt duplicis generis, nempe *cognoscitivi*, qui subiectantur in sensibus internis, et *appetitivi* seu morales, qui subiectantur in appetitu sensitivo, nempe in appetitu concupiscibili et irascibili. Et concrete loquendo possumus reducere ad tres, nempe ad artem memorandi seu ad memoriam, ad fortitudinem et ad temperantiam.

Iam vero *experientia* comperimus istos habitus saepius minui. Ita experimur nobis aliquando memoriam ex parte deficere, quatenus recordamur alicuius et obliviscimur partem eius; et similiter fortitudo et temperantia quandoque incipiunt debilitari et hanc debilitatem experimur in nobis et in aliis.

Difficultas ergo est explicare *quomodo* et *qua de causa* diminuantur.

647. conclusio: *Habitus operativi organici diminuuntur et accidentaliter et essentialiter.*

648. *Accidentaliter* quidem tum ex parte *actus seu exercitii*, quatenus remisse seu minus energice operantur nunc et prius (intensive) aut etiam pauciores operationes numero exercent (extensive), tum ex parte *obiecti mere materialis et accidentalis*, quia ad pauciora numero se extendit modo et antea (extensive tantum). Sive ergo ex parte subiecti sive ex parte obiecti possunt huiusmodi habitus diminui accidentaliter. Et sic videmus quod memoria limitatur quandoque quoad obiecta recordanda et minus prompte et faciliter memoramur nunc et prius; et similiter quandoque fortitudo pauciora numero aggreditur aut sustinet vel etiam minori conatu et alacritate; et idem dic de temperantia.

Et *ratio* est quia *usus* istarum facultatum et istorum habituum *pendet a nostra voluntate*, et consequenter pro nostro libitu possumus agere vel non agere, agere plura vel pauciora, operari pluries vel non, magis intense aut minus intense.

649. *Essentialiter* etiam diminuuntur sive diminutione intensiva per comparationem ad proprium subiectum et in ordine ad idem formale obiectum; sive etiam dimi-

nutione extensiva intrinseca et per ordinem ad numerum obiectorum per se, licet secundariorum.

Et *ratio* est, quia eodem modo proportionali habitus augentur et diminuuntur seu intenduntur et remittuntur. Atqui isti habitus essentialiter augebantur tum intensive tum extensive, ut dictum est quaestione praecedenti, articulo 1 et 2. Ergo et essentialiter diminuuntur aut diminui possunt utroque modo. Et revera, utpote formae accidentales, non inhaerent subiecto modo indivisibili, sed latitudine quadam, vi cuius plus et minus inhaerere valent; et similiter, utpote formae relativae ad proprium et per se obiectum, quod insuper non stat in puncto mathematico indivisibili, ut dictum est in quaestione praecedenti, articulo primo, possunt plus minusve accedere tali termino eique magis et minus adhaerere et conformari.

650. *Causa* autem huius diminutionis aut debilitationis potest esse duplex: alia per se, alia per accidens.

Causa *per se* est debilitatio potentiarum organicarum in quibus subiectantur. Debilitatis enim potentiis naturalibus, quae principaliter operantur, et in ordine ad quas per se primo dicebantur isti habitus operativi, necesse est quod debilitentur habitus fundati et radicati in ipsis. Quod autem istae potentiae organicae debilitentur *intrinsece* apparet ex eo quod *intrinsece* pendent ab organis corporis, quae alterari possunt secundum sanitatem et vigorem, quae sunt habitus entitativi, ut paulo supre dictum est. Unde hoc expresse docent nobiliores thomistae, ut Caietanus [1], Bañez [2], Ioannes a S. Thoma, qui ait: «Videtur haec sententia satis rationalis; non enim est ratio cur non suscipiant magis et minus huiusmodi potentiae, quae a qualitatibus primis vel alteratione dependent, praesertim cum experientia suffragetur,

---

[1] Caietanus, *In I-II*, 52, art. 1, n. 10.
[2] D. Bañez, *In I De Generatione et corruptione*, cap. 4, q. 1.

quae in illis intensionem et remissionem sentit ut in potentia visiva» [1].

Quod quidem omnino respondere videtur doctrinae S. Thomae dicentis quod «unus homo *ex dispositione organorum* est magis aptus ad bene intelligendum quam alius, in quantum ad operationem intellectus indigemus virtutibus sensitivis»; et similiter sunt «quidam dispositi *ex propria corporis complexione* ad castitatem vel mansuetudinem vel ad aliquid huiusmodi» [2], «in quantum *ex corporis dispositione* aliqui sunt dispositi vel melius vel peius ad quasdam virtutes, prout scilicet vires quaedam sensitivae actus sunt quarumdam partium corporis, ex quarum dispositione adiuvantur vel impediuntur huiusmodi vires in suis actibus» [3]; nam «*ex naturali dispositione corporis*, quam habet ex nativitate, unus habet aptitudinem ad miserendum, alius ad temperate vivendum, alius ad aliam virtutem» [4]. Et expresse cum Aristotele ostendit diversas qualitates memoriae secundum diversa temperamenta et diversas aetates, quae secum ferunt alterationes organicas differentes, et concludit: «Propter praedictas causas, illi qui sunt multum novi, sicut pueri, et etiam senes, sunt immemores, *quia* corpora puerorum sunt in fluxu propter augmentum, senum vero propter decrementum; ideo in neutris bene retinetur impressio» [5].

Causa vero per accidens est vel cessatio temporanea ab opere horum habituum per actus propriarum potentiarum, vel cessatio motionis et directionis activae potentiarum vel habituum superiorum intellectus aut voluntatis, vel remissio aut mitigatio ex utraque parte, nempe potentiarum et habituum superiorum et potentiae et ha-

---

[1] Ioannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Philosophia Naturalis, II P., q. 4, art. 1, Edit. Vives, t. 2, p. 593.
[2] S. Thomas, I-II, 51, 1.
[3] I-II, 63, 1.
[4] *Ibidem*, ad obiecta.
[5] *In De memoria et reminiscentia*, lect. 3, n. 331. Cf. *ibidem*, nn. 328-334.

bitus qui diminuuntur; his enim omnibus de causis evenit ut motus et imaginationes contrariae non sat impediantur, sed potius paulatim incalescant; et sic paulatim disgregatur potentia et habitus, et consequenter debilitatur, secundum illud: pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Cum enim maxime versemur in vita sensitiva, facultates istae fere continuo exercentur: quod si non bene et regulate, disperse et irregulariter ducuntur. Patet autem quod haec diminutio seu debilitatio horum habituum potest quandoque esse ex causa voluntaria, quia voluntarie homo cessat ab operando aut minus intense aut in sensu contrario incipit operari; quandoque vero ex causa involuntaria et pure naturali, si nempe ex indispositione organica inculpabili procedit.

2. *De diminutione habituum inorganicorum*

651. Habitus isti, qui subiectantur in facultatibus pure spiritualibus seu inorganicis, sunt duplicis generis: alii *intellectuales*, qui subiectantur in intellectu possibili; alii *morales*, qui subiectantur in voluntate. De utrisque separatim agendum est quantum ad eorum diminutionem.

a) *De diminutione habituum intellectualium*

652. Sed habitus intellectuales distinguuntur in pure *speculativos* et *practicos*, et ideo necesse est distinctim de ipsis loqui.

1) *De diminutione habituum speculativorum*

653. Habitus speculativi sunt qui pro fine proprio habent considerationem veri ut sic seu quorum proprius finis est cognoscere. Et sunt duplicis generis: alii *immediati* seu veri per se noti; alii *mediati* seu *illativi* scilicet veri demonstrabilis seu conclusionis verae.

α) *De diminutione habitus intellectus*

654. Dictum est supra quod habitus intellectus est quoad essentiam suam incorruptibilis et per se et per accidens. At difficultas est *utrum diminui possit*, quae eadem est ac illa: *utrum possit augeri*. Qua in re oportet recolere habitum principiorum posse considerari dupliciter: uno modo, *absolute et secundum se* vel quoad eius *essentiam*, quae ordinem transcendentalem dicit et ad subiectum proprium in quo est, et ad proprium et formale obiectum ad quod est, nempe ad primum et immediatum verum formale; alio modo, quasi *relative ad proprios actus et effectus*, qui sunt illuminare media ordinata ad conclusiones inferendas per habitus mediatos seu illativos, et haec consideratio est potius *accidentalis*, quia propositiones immediatae non iam considerantur secundum se, sed *ut praemissae* seu in ordine syllogistico et ad conclusionem inferendam; hoc autem *accidit* quodammodo istis principiis, quia potest ab eis separari.

Et *ratio* est, quia etiam habitus principiorum est qualitas quaedam seu forma, ideoque ei convenit quantitas virtualis seu perfectionis, quae quidem attenditur dupliciter: quandoque quidem in sua radice vel essentia, qua in tali genere et specie constituitur; quandoque vero in suo effectu, vel *formali* et immediato, qui est esse quod in se habet aut quod subiecto affert, vel *mediato et effectivo*, qui est agere vel operari. Et constat quod iste effectus secundus non est de ipsa essentia formae, sed ab ea separabilis, nec immediate seu per se primo ei convenit, quia essentia ut essentia non est immediate operativa, licet operativa sit immediate si agatur de essentia operativa prout est operativa.

Ad rem S. Thomas: «Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primo quidem *in radice*, idest in ipsa perfectione formae vel naturae, et sic dicitur magnitudo spiritualis...; secundo autem attenditur quantitas virtualis *in effectibus* formae; primus autem effectus formae

est *esse*, nam omnis res habet esse secundum suam formam; secundus autem effectus est *operatio*, nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis et secundum esse et secundum operationem: secundum *esse* quidem in quantum ea quae sunt perfectioris naturae sunt maioris durationis (=maior inhaerentia, pro formis accidentalibus); secundum *operationem* vero, in quantum ea quae sunt perfectioris naturae, sunt magis potentia ad agendum» [1].

655. CONCLUSIO: *Dicendum est habitum primorum principiorum non posse augeri neque minui essentialiter seu quoad ipsam eius radicem; neque per accidens ita quod essentialiter augeatur aut minuatur; accidentaliter autem et quantum ad effectum suum secundarium potest aliquo modo augeri et minui, nempe quantum ad conditiones quasdam actus eius, et quantum ad virtualitatem vel influxum eius causalem in alios habitus rationis; et similiter quantum ad virtualitatem effectivam eius.*

656. *Probatur prima pars.* Nam si essentialiter posset augeri et minui, aut hoc esset *per se,* scilicet per ordinem ad proprium *subiectum,* per maiorem evidentiam et certitudinem; vel per ordinem ad proprium *obiectum,* intensive magis aut minus illud cognoscendo, vel extendendo aut restringendo quoad diversa obiecta; aut *per accidens.* Atqui nihil horum dici potest.

657. Non *per se* ex parte *propriae causae* certitudinis et evidentiae, quia haec propria *lux intellectus agentis et possibilis,* qui non intenduntur nec remittuntur utpote potentiae naturales inorganicae; et *immediata exclusio vel inclusio terminorum ex quibus constant prima principa,* quae semper aequalis et immediata est, sicut ipsae rerum essentiae. *Neque etiam per maiorem vel minorem extensionem obiectivam,* quia iste habitus essentialiter respicit *tantum* primos et communissimos ter-

---

[1] I, 42, 1 ad 1.

minos, nempe ens et non ens, qui omnibus et semper aequali luce clarescunt; si enim unus tolleretur iam non posset dari iudicium, ideoque nec veritas nec habitus; si vero adderetur unus, iam non esset unum et primum principium, sed plura essent subordinata, et iam desineret esse unus habitus primus.

Nullo ergo modo per se potest essentialiter augeri aut minui habitus intellectus principiorum.

Confirmatur, quia si per se augeri aut minui posset iste habitus essentialiter, augmentum eius aut diminutio afficeret ipsum lumen habituale vel species intelligibiles primi iudicii vel principii. Atqui ex neutra parte dari potest augmentum vel decrementum. *Non quidem ex parte ipsius luminis intellectualis,* quia istud lumen est ipsa naturalis potentia perceptiva et iudicativa intellectus possibilis, quae nec augeri nec minui potest, sicut neque ipsa essentia animae a qua dimanat; vel est proprietas quaedam ipsius intellectus possibilis ei congenita et ab ea naturaliter dimanans, et in idem redit. *Neque ex parte specierum intelligibilium* vel terminorum ex quibus coalescit primum principium, quia tunc *vel* esset ex parte ipsarum specierum *secundum se, vel* ex parte *compositionis et divisionis* earumdem in iudicio affirmativo vel negativo. Constat autem quod neutro modo augeri vel minui possunt. *Non secundum se quoad numerum* seu *extensionem,* quia tunc essent materia pro pluribus iudiciis vel pro nullo, si vel una species adderetur aut tolleretur; neque *quoad intensitatem evidentiae,* quia haec perceptio et evidentia est omnino prima et naturalis, utpote relata ad proprium et formale obiectum intellectus possibilis simpliciter apprehendentis, quod est ens et non ens. *Neque secundum compositionem aut divisionem* in iudicio affirmativo, quia haec compositio et divisio est omnino prima et immediata et essentialis, et consequenter non est susceptiva magis et minus, sed in *indivisibili* stat. Unde S. Thomas profunde dicit quod «quantum ad *communia principia* rationis sive speculativae sive practicae, est *eadem veritas seu rectitudo apud omnes et ae-*

qualiter nota» vel secundum rectitudinem aut veritatem et secundum notitiam vel certitudinem [1]. Et alibi affirmat quod «intellectus principiorum *aequaliter* invenitur in omnibus hominibus», quia «consequitur ipsam naturam humanam, quae *aequaliter* in omnibus invenitur» [2].

658. *Neque per accidens augeri aut minui potest* ita quod essentialiter augeatur aut minuatur, quia numquam causa per accidens sortitur effectum suum nisi quatenus uno vel alio modo resolvitur in causam per se, quae hoc in casu pro augmento vel diminutione habitus principiorum dari nequit, ut modo dictum est. Consequenter *neque cesatio ab opere* —quae revera homini utenti ratione impossibilis est, cum continuo utatur homo hoc habitu quandocumque iudicat et discurrit—, *neque deceptiones aut fluctuationes* circa veritates derivatas hunc habitum tangunt, *neque etiam usus eius regulatur voluntate*, quia prior est voluntate et necessario a natura imponitur. Unde iterum S. Thomas egregie ait: «Superior pars intellectus est in consideratione principiorum per se notorum, per quae alia cognoscuntur; unde *quantumcumque dubitatio oriatur circa conclusiones, de certitudine principiorum nihil minuitur*» [3], «sicut nigredo quae est in pede nihil diminuit de albedine quae est in capite» [4].

659. *Probatur secunda pars* (accidentaliter quantum ad effectus). *Quantum ad conditiones quasdam accidentales actus eius*, quatenus per reflexionem criticam, Metaphysica *exponit* scientifice significationem terminorum primorum principiorum, et *defendit* ad hominem ad sensum contra ea ore negantes, et sic magis *explicitam et depuratam* notitiam habere potest quam sit notitia *vulgaris*, quae tamen essentialiter et substantialiter eadem est et adeo clara et firma et vera. Unde Sapientia, quae

[1] I-II, 94, 5.
[2] II-II, 5, 4 ad 3.
[3] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5 ad 3.
[4] *De malo*, q. 7, art. 2 ad 8.

est Metaphysica, potest *iudicare* de veritate horum principiorum *in via iudicii* vel syntheseos ex veritate Primi Principii omnium rerum; at hoc est in alio genere causae et non affert maiorem certitudinem subiecto; et insuper disputat aliquo modo contra negantes [1]; sed evidenter non demonstrat haec prima principia, neque intrinsece illustrat quoad vim essentialem terminorum et connexionis eorum, quae ab ipsa natura fortius imponitur.

660. Similiter *quantum ad virtualitatem effectivam eorum*, nam ista prima principia et iste habitus principiorum explicite vel implicite intervenit semper in quacumque posteriori cognitione. Quanto ergo cognitio subsequens magis dilatatur, tanto etiam effectus illuminationis huius habitus extenditur; et quanto aliqua resolutio conclusionis ad principia magis explicita et firma est, tanto etiam intensius et clarius illuminat cetera. Unde in eodem loco in quo S. Thomas docet quod iste habitus est *aequalis* in omnibus quantum ad eius radicem vel essentiam, quia «consequitur ipsam naturam humanam, quae aequaliter in omnibus invenitur», addit: «et tamen secundum maiorem capacitatem intellectus, unus magis cognoscit *virtutem* principiorum quam alius» [2]. Ubi notandum est quod non dicit Thomas «veritatem», ut habent quaedam editiones et legerat Caietanus, sed «virtutem, ut habet textus leoninus, et propter hoc non est necesse recurrere ad glossam Caietani quantum ad veritatem absolutam vel in se, quae opponeretur dictis in I-II supra allatis, sed solum quantum ad virtualitatem huius veritatis illuminativam aliorum, et in hoc sensu valent quae subdit Caietanus: «Eadem *virtualiter* sumpta magis penetrare constat nobilius ingenium, cui datum est ex eis invenire et videre veritatem conclusionum» [3].

[1] I-II, 66, 5 ad 4; *IV Metaph.*, lect. 6, n. 596 sqs.
[2] II-II, 5, 4 ad 3.
[3] Caietanus, *In II-II*, 5, 4.

Nam «*virtus* alicuius rei perfecte cognosci non potest nisi cognoscantur ea ad quae virtus *se extendit*»[1]; et ita ex cognitione multarum conclusionum, quae augeri vel minui possunt et intensive et extensive, melius vel peius cognoscitur virtualitas primi principii, et magis vel minus evolvitur virtualitas habitus intellectus.

Unde dicendum est habitum intellectus augeri et minui posse *accidentaliter* quantum ad *manifestationem et effectus eius secundarios*, eo fere modo quo crescebat scientia infusa animae Christi. Unde S. Doctor hanc distinctionem, maioris sane momenti, inculcat his verbis: «Duplex est perfectio scientiae: unus quidem *secundum essentiam*, prout scilicet habitus scientiae augetur; alius autem *secundum effectum*, puta si aliquis, secundum eumdem et aequalem scientiae habitum, primo minora aliis demonstrat, et postea maiora et subtiliora»[2].

β) *De diminutione habitus illativi*

661. Habitus illativi seu discursivi vel mediati sunt sapientia et scientia et sub aliquo respectu, quantum ad rem nostram pertinet, ars.

Nunc autem *certum* est istos habitus quandoque minui sive collective apud diversos homines et diversa tempora, ut historia scientiarum demonstrat, ubi describuntur declinationes artium et scientiarum, sive etiam distributive apud unum eumdemque hominem secundum diversa tempora, sicut si dicamus quod aliquis studens, quando fecit examen doctoratus doctior erat quam post aliquot annos ministerii sacri vel explicationis humaniorum litterarum pro pueris et adolescentibus.

Sed *quomodo* diminui possint difficilius explicatur.

662. conclusio: *Habitus sapientiae, scientiae et artis diminui possunt essentialiter et accidentaliter.*

---

[1] S. Thomas, I, 14, 5.
[2] III, 12, 2.

663. *Essentialiter* quidem vel quantum ad ipsam rationem seu essentiam diminuuntur *dupliciter*, scilicet et per ordinem ad proprium *subiectum* seu quoad inhaerentiam, quatenus minus adaptantur subiecto eique minus fortiter inhaerent; et per ordinem ad proprium *obiectum* formale *quo* et *quod*, cui minus adhaerent et minus penetrant; et ex utraque parte habetur diminutio essentialis intensiva; sed insuper dari potest diminutio quasi *extensiva intrinseca*, quatenus numerus conclusionum, quae sunt semper de obiectis materialibus per se secundo, restringi potest, vel etiam minus limpide et explicite in principia resolvi.

Causae autem huius diminutionis sunt plures, nempe: *impedimenta* seu difficultates partis sensitivae, propter aegritudinem aut passiones concitatas et absorbentes; *oblivio* partialis factorum seu elementorum materialium circa quae oportebat scientiam versari; *defectus* seu mitigatio exercitii ipsius habitus scientifici una cum defectu resolutionis ad principia et interventus principiorum ad conclusiones. Ex hoc enim defectu accidit quod conclusiones minus fortiter et intense penetrentur.

Ratio est, quia eadem causa contrario modo se habens est causa contrariorum[1]. Atqui sanitas et tranquillitas appetitus et exercitium conveniens partis sensitivae sub directione partis rationalis, et intensio exercitii proprii intellectus possibilis erga propria obiecta, et insuper motio activa et directio habitus superioris in inferiorem, erant causa augmenti habitus illativi, ut supra dictum est, quaestione praecedenti, articulis 1 et 2; diminutio autem contrarie opponitur augmento; ergo et haec eadem contrario modo se habentia sunt causa contrarii, idest diminutionis habitus illativi.

664. *Accidentaliter* etiam diminui possunt huiusmodi habitus tum *intensive*, quatenus minori conatu exer-

---

[1] *In V Metaph.*, lect. 2, n. 776.

cent actus suos qui, quoad usum, pendent a voluntate applicante; tum *extensive extrinsece*, quatenus pauciora obiecta materialia considerantur, vel etiam numerus actuum considerationis restringitur. His enim omnibus modis potest minui aliquis habitus, quin tamen radix eius vel essentia tangatur. Et iste est defectus fervoris *exterioris et sensibilis* tum in considerando apud se, tum in exponendo coram aliis [1]; et hac de causa potest quis *apparere* minus sciens, quia minus eloquenter vel ardenter loquitur aut scribit, cum tamen revera sit aeque vel magis sapiens.

2) *De diminutione habituum practicorum*

665. Similiter habitus intellectuales practici, qui versantur circa agibilia humana —nam quae de arte dici possent patent ex dictis de habitu illativo speculativo— sunt duo: quidam immediatus, qui dicitur synderesis; quidam vero mediatus seu illativus, qui dicitur prudentia. De illis ergo oportet nunc singillatim considerare.

α) *De diminutione synderesis*

666. Diminutio synedereseos eodem modo potest explicari ac diminutio habitus intellectus, quia probabiliter sunt unus idemque habitus vel saltem eiusdem rationis. Attamen, sicut pro corruptione eius plura habebat S. Thomas quam pro corruptione habitus intellectus, ita etiam quantum ad diminutionem.

667. conclusio: *Dicendum est ergo synderesim non posse diminui essentialiter, bene vero accidentaliter aliquo modo.*

---

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 1.

668. *Probatur. Essentialiter* vel quantum ad essentiam suam nequit diminui; quia vel diminueretur per se aut per accidens. Atqui neutro modo.

Non per se, quia haec diminutio deberet afficere aut lumen intellectuale aut species intelligibiles primorum terminorum secundum proprias causas. *Non lumen ipsum intellectuale secundum propriam causam*, quia si dicatur istud lumen esse ipsum intellectum possibilem potentem intelligere, causa eius propria est anima rationalis secundum essentiam suam, a qua procederet per simplicem dimanationem; ipsa autem essentia animae nequit diminui sicut neque augeri, cum sit forma substantialis absoluta et omnino incorruptibilis; quando autem propria causa non diminuitur, neque proprius effectus. Si vero dicatur esse quid distinctum ab ipsa potentia intellectiva ab eaque dimanatum, eadem sequitur conclusio, quia erit adeo indiminuibile sicut ipsa potentia intellectiva, quae, ut vidimus, nequit diminui in sua radice.

Neque etiam species intelligibiles terminorum quantum ad id quod in ipsis essentiale et formale est, quia ista diminutio *aut* procederet ex diminutione propriae causae, *aut* ex diminutione propriae vis repraesentativae obiecti, *aut* ex diminutione propriae vis attingendi proprium obiectum, quod est verum practicum immediatum et per se notum omnibus. At ex nulla parte potest dari diminutio. *Non ex diminutione propriae causae*, quae est intellectus agens, quia intellectus agens nec in se nec in vi sua abstractiva est capax diminutionis et debilitationis, cum sit potentia naturalis omnino spiritualis et incorporea; *neque ex diminutione propriae vis repraesentativae obiecti proprii*, quia haec vis est de propria natura speciei intelligibilis, quae relationem transcendentalem dicit ad obiectum repraesentandum; *neque ex vi intelligendi proprium obiectum*, quia ista attingentia est omnino prima et immediata et fit sine motu ullo et discursu, ideoque non adest locus latitudini essentiali seu intensioni et remissioni.

Neque per accidens diminui potest; quia haec diminutio deberet fieri *aut* in genere causae quasi materialis, per diminutionem seu debilitationem proprii subiecti, *aut* per cessationem vel debilitationem operandi circa proprium obiectum. Sed neutrum dici potest. *Non quidem ex diminutione proprii subiecti*, quod est ipsa essentia animae vel ipsa essentia intellectus possibilis, saltem quantum ad species; sive autem anima sive intellectus nequeunt diminui.

Neque ex diminutione aut debilitatione operationis circa proprium obiectum, tum quia usus iste est continuus durante usu rationis, ideoque non datur locus cessationi continuae; *tum* quia operatio illa est omnino naturalis et non pendet proprie loquendo a voluntate neque quoad specificationem neque quoad exercitium, et ideo semper eodem conatu et claritate procedit, absque intensione aut remissione essentiali. Ceterum, eo ipso quod per se nequit diminui, et quod causae per accidens nequeunt attingere ipsam essentiam synderesos nisi mediante causa per se, sequitur synderesim quantum ad radicem vel essentiam suam esse intangibilem a causa creata [1].

669. *Potest tamen diminui vel debilitari habitus synderesos accidentaliter*, nempe quantum ad effectum secundarium eius, qui est influere in habitus inferiores rationis, et ita diminui potest et *extensive*, quia ad pauciores conclusiones vel actus dirigendos vim suam extendit; et *intensive*, quia minus clare et explicite et energice intervenit. At haec duo proveniunt ex appositione impedimenti extrinseci, nempe ex passionibus vel alia simili causa, ex qua oritur quod intellectus practicus non dictet et imponat efficaciter iudicia sua rationi practicae et appetitui. Unde S. Thomas sapienter ait quod «impossibile est *in universali* iudicium synderesos extingui; *in*

[1] Cf. Caietanum, *In I-II*, 85, a. 2, n. 2 in fine.

particulari vero operabili extinguitur quandocumque peccatur in eligendo; vis enim concupiscentiae vel alterius passionis ita rationem absorbet ut in eligendo synderesis universale iudicium ad particularem actum *non applicet*. Sed hoc non extinguit synderesim *simpliciter* (=essentialiter), sed *secundum quid* (=accidentaliter). Unde simpliciter loquendo, concedimus quod synderesis numquam extinguitur» [1]. Et supra dixerat quod «synderesis numquam praecipitatur *in universali*, sed *in ipsa applicatione* universalis principii ad aliquod particulare potest accidere error, propter imperfectam vel falsam deductionem vel alicuius falsi assumptionem, et inde non dixit simpliciter quod praecipitatur synderesis, sed quod conscientia praecipitatur, quae universale iudicium synderesis ad particularia opera applicat» [2]; «non enim deficit in universali, sed in applicatione ad singularia, et sic synderesis *non in se* deficit, sed quodammodo *in conscientia*» [3].

Et hanc doctrinam optime expressit Bañez his verbis: «Inclinatio naturalis ad bonum secundum habitum naturaliter inditum scilicet synderesim, ex ea quidem parte qua respicit animam tamquam subiectum in quo est et a qua dimanat naturaliter, *nec corrumpi potest*, quia est propria passio animae incorruptibilis, sicut lumen primorum principiorum speculabilium, ita lumen primorum principiorum practicorum; at *ex parte qua respicit obiectum et actum circa obiectum*, potest minui; quae minutio potius est *secundum impedimenta extrinseca* quam respectu subiecti cui inhaeret; non enim remittitur *habitus*, sed impeditur *actus seu ligatur actus*. Id quod experientia docet, nam consuetudo peccandi facit homines ineptiores ad bona ad quae, ante consuetudinem, erant naturaliter promptiores; imo, tantum potest crescere consuetudo, ut fere suffocata sit synderesis ad aliquod

[1] S. Thomas, *De Veritate*, 16, 3.
[2] *Ibidem*, ad 1 et ad 2.
[3] *De Verit.* 17, 1 ad 1.

opus bonum contrarium malae consuetudini; est enim consuetudo altera natura»[1].

β) *De diminutione prudentiae*

670. *Factum* diminutionis habitus prudentiae apparet tam clare sicut factum diminutionis virtutum moralium, quae in prudentia connectantur, et totius vitae moralis naturalis, quae ad quatuor virtutes cardinales reducitur. Constat autem vitam moralem suas habere fluctuationes sive in unoquoque distributive sive apud totam humanitatem collective. Certum est ergo prudentiam quandoque augeri, quandoque vero minui. Solum ergo manet explicandum *quomodo et qua de causa* minui possit.

671. CONCLUSIO: *Dicendum est prudentiam diminui posse tum essentialiter seu quantum ad ipsam radicem habitus, tum accidentaliter.*

672. *Probatur. Essentialiter* quidem minui potest dupliciter, scilicet *intensive* et *extensive intrinsece.* Et *intensive*, tum per ordinem ad proprium *subiectum* seu quoad inhaerentiam, quatenus minus actuat ipsum et minus reducit ad actum perfectionis et minus ei connaturalizatur, et consequenter debilior est inhaerentia; tum etiam per ordinem ad *proprium et formale obiectum eius*, cui minus fortiter adhaeret et debilius ei compenetratur et assimilatur. *Extensive* autem *intrinsece* quantum ad vim eius consiliativam et iudicativam et imperativam super materiam et actus virtutum mere moralium, quatenus non descendit usque ad minima neque totam vitam moralem penitus informat quantum ad totum id quod informari debebat. Licet ergo non possit hic dari extensio per diversa media rationis separabilia sicut in

[1] D. BAÑEZ, *In I*, q. 48, art. 4, conclusione 5. edit. cit., col. 693. Cf. CAIETANUM, *In I-II*, 85, 2, n. 2 in fine.

habitu scientiae, tamen dari potest extensio quaedam quoad quaedam singularia, ad quae non descendit vel quae non resolvuntur usque ad directionem prudentiae. Primus modus diminutionis dici potest *remissionis*; secundus vero *restrictionis.*

673. *Accidentaliter* etiam minui potest prudentia *intensive*, quia minus intense operatur consiliando, iudicando et praecipiendo, tum etiam *extensive* vel potius restrictive, quia pauciores numero actus elicit aut imperat, vel quia pauciora numero obiecta materialia seu casus particulares attigit. Uno autem verbo dici potest quod prudentia minuitur per *torporem et pigritiam* seu per defectum sollicitudinis, quae prudentiam complet.

674. *Causa* autem diminutionis essentialis sunt multiplices, et directe veniunt ex diminutione vel interruptione actuum concurrentium ad prudentiam perfectam, quae iterum diminutio venire solet ex debilitate partium integralium aut potentialium quae ad prudentiam perfectam requiruntur. Ita diminutio vel debilitatio scientiae moralis, quae praebet praemissam minorem universalem, et debilitatio sollertiae vel cogitativae et memoriae sensitivae et docilitatis et circumspectionis et cautionis, directe nata est causare debilitationem in ipso actu principali et habitu prudentiae. *Insuper*, quia in genere causae materialis, habitus prudentiae pendet ab habitu aliarum virtutum cardinalium, quae sunt in appetitu, debilitas aut diminutio earum secum fert diminutionem habitus prudentiae. Sive ergo ex parte principiorum rationis practicae sive ex parte cogitativae et aliorum ad prudentiam quoquomodo pertinentium, sive etiam —et maxime quidem— ex aliqua perturbatione aut irregularitate vel indocilitate appetitus rationalis aut sensitivi, habitus prudentiae essentialiter debilitari potest. Unde iuvenes, qui multum subiacent passionibus non solent esse prudentes prudentia acquisita[1].

[1] S. THOMAS, *In VI Ethic.*, lect. 7.

b) *De diminutione habituum moralium*

675. Consequenter agendum est de diminutione habituum mere moralium, qui sunt in appetitu superiori vel rationali, nam de habitibus moralibus subiectatis in appetitu sensitivo, qui est facultas quaedam organica, iam supra dictum est. Quia ergo in voluntate adest sola iustitia, ideo de diminutione habitus iustitiae dicendum est.

Constat *de facto* iustitiam aliquando debilitari, sicut videmus in iudicibus et superioribus et tribunalibus, qui non semper eodem zelo et alacritate et rectitudine iustitiam administrant.

676. CONCLUSIO: *Vere dicendum est iustitiam minui posse tum essentialiter seu quoad ipsam radicem habitus, tum etiam accidentaliter.*

677. *Probatur.* Si loquamur de iustitia *generali* vel legali, quae circuit veluti forma quaedam per ceteras virtutes ad instar prudentiae, patet simili modo posse minui sicut prudentia ipsa.

Si vero loquamur de iustitia *particulari*, tum commutativa tum distributiva, sine dubio minui potest *essentialiter* tum quantum ad inhaerentiam et informationem proprii *subiecti*, secundum quod minus ei adaptatur vel connaturalizatur, tum etiam respectu proprii *obiecti*, quod est medium rei et rationis arithmeticum vel geometricum, profundius et exactius attingendi. Nam sicut hoc duplici capite poterat essentialiter augeri, ita etiam hac duplici de causa potest essentialiter minui, quia eadem est contrariorum ratio.

Similiter potest *accidentaliter* minui quantum ad fervorem sensibilem actus et quantum ad actuum numerum et quantum ad plura obiecta mere materialia attingenda.

Causae autem huius diminutionis possunt esse *tum* debilitatio iudicii et imperii prudentiae, *tum* debilitatio conatus et energiae seu firmitatis voluntatis, *tum* etiam perturbationes quaedam appetitus sensitivi, quae quodammodo perturbare possunt iudicium prudentiae et distrahere energias voluntatis.

Quomodocumque autem fiat, semper verum est, quantum ad omnes istos habitus acquisitos vel mediatos, id quod dicit S. Thomas his verbis: «Habitus autem acquisitarum virtutum, robur et firmitatem habent ex nostris operibus; unde cessantibus operibus, remittitur robur virtutis, *etiam in se*» seu essentialiter [1].

SYNTHESIS QUAESTIONIS DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM NATURALIUM SIVE LEGES HUIUSMODI PROCESSUS

678. Si autem modo, postquam hos omnes habitus singillatim consideravimus quoad corruptionem et diminutionem, synthetice eos omnes inspiciamus collective, poterimus dicere:

679. *Prima lex*: *quanto habitus sunt inferioris ordinis et dignitatis, tanto sunt magis diminuibiles et corruptibiles; quanto vero sunt superioris ordinis et dignitatis, tanto sunt minus diminuibiles et corruptibiles; et inde est quod maxime corruptibiles et diminuibiles sunt habitus entitativi corporales; minime autem corruptibiles et diminuibiles sunt operativi omnino primi et immediati, ut habitus intellectus et synderesis; medio vero modo sunt operativi secundum quod magis accedunt ad corporales et magis recedunt ab omnino primis.*

Et *ratio* est, quia diminutio et corruptio in qualitatibus, proprie loquendo, sunt *alterationes*; motus autem alterationis per se primo afficit tertiam speciem qualiatis; ceteras vero species ex consequenti secundum gradum connexionis et dependentiae et propinquitatis ad tertiam speciem qualitatis. Iam vero constat dependentiam habituum a qualitatibus tertiae speciei mensurari secundum gradum corporeitatis seu inferioritatis eorum; quia diminuibilitas et corruptibilitas sunt imperfectiones quaedam.

---

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5.

Et sic videmus quod habitus entitativi corporales sunt omnino corruptibiles, et quidem multo magis quam habitus operativi organici tam cognoscitivi quam appetitivi, licet appetitivi citius et facilius corrumpantur eo quod magis directe pendent a qualitatibus tertiae speciei.

Dein veniunt habitus operativi spirituales in appetitu subiectati, nempe iustitia, quae pluribus modis corrumpi potest multoque magis quam habitus intellectuales; et inter ipsos habitus intellectuales multo magis diminui et corrumpi potest habitus intellectualis practicus, qui est prudentia, quam habitus intellectualis speculativus, qui est sapientia et scientia. Et hoc ideo, quia in ratione habitus sunt imperfectiores et minus firmi habitus morales quam intellectuales, et inter intellectuales sunt debiliores habitus practici quam pure speculativi, loquendo quantum ad essentiam habitus; nam quoad modum et ex parte subiecti et per accidens potest contrarium accidere, propter maius et frequentius exercitium virtutum moralium. Unde S. Thomas conceptis verbis asserit quod «virtutes intellectuales sunt nobiliores *habitus* simpliciter» quam virtutes morales [1], quia nobilitas habitus mensuratur ex nobilitate proprii obiecti et ex maiori firmitate vel permanentia essentiali et specifica eius; et propter hoc idem S. Doctor prosequitur: «Virtutes morales sunt magis permanentes quam virtutes intellectuales *propter exercitium earum in his quae pertinent ad vitam comunem*; sed manifestum est quod *obiecta* disciplinarum, quae sunt mecessaria et semper eodem modo se habentia, sunt *permanentiora* quam obiecta virtutum moralium, quae sunt quaedam particularia agibilia» [2].

Denique habitus omnino naturales intellectuales, ut intellectus et synderesis, sunt penitus indiminuibiles et incorruptibiles quantum ad essentiam suam, licet quantum ad actum et accidentia quaedam secundaria possint

[1] I-II, 66, 3.
[2] *Ibidem* ad 1.

diminui seu impediri, immo et corrumpi seu penitus impediri.

Et propter hoc isti habitus, quia sunt basis et fundamentum totius humanae vitae intellectualis et moralis, semper manent in omnibus hominibus, etiamsi ceteri omnes habitus minuantur et penitus destruantur; et hac de causa semper potest homo ad bonam frugem redire, quia semper manet in eo principium veri et boni.

S. Thomas eloquenter et valde profunde dedit rationem huius incorruptibilitatis, quando scribit: «Natura in *omnibus* suis operibus bonum intendit et conservationem eorum quae per operationem *naturae* fiunt; et ideo in *omnibus* naturae operibus *semper* principia sunt *permanentia et immutabilia* et rectitudinem conservantia; principia enim manere oportet, ut dicitur in I Physicorum.

Non enim posset esse aliqua firmitas vel certitudo in his quae sunt a principio, nisi principia essent firmiter stabilita. Et inde est quod omnia *mutabilia* reducuntur ad aliquod primum immobile; inde est etiam quod omnis specifica *cognitio* derivatur ab aliqua certissima cognitione, circa quam error esse non potest, quae est cognitio primorum principiorum universalium, ad quae *omnia* illa cognita examinantur et ex quibus *omne* verum approbatur et *omne* falsum respuitur; in quibus, si aliquis error posset accidere, *nulla* certitudo *in tota* sequenti cognitione inveniretur. Unde et in *operibus humanis*, ad hoc quod in eis aliqua rectitudo esse possit, oportet esse aliquod principium *permanens*, quod rectitudinem *immutabilem* habeat, ad quod *omnia* opera examinentur, ita quod illud principium permanens *omni* malo resistat et *omni* bono assentiat; et hoc est *synderesis*, cuius officium est remurmurare malo et inclinare ad bonum; et ideo concedimus quod in ea non possit esse peccatum» [3].

Quantumcumque ergo homo erret, numquam laeditur habitus principiorum, sicut nec essentia animae aut intellectus tam possibilis quam agentis; et similiter quan-

[1] *De Verit.* 16, 2.

tumcumque homo peccet, nunquam laeditur ipsa essentia animae neque capacitas eius ad bonum neque synderesis, quantum ad principium vel radicem eius, licet impediatur *ex appositione impedimentorum* ne terminum, qui est bonum honestum in operibus, attingat, et hoc est *diminui extrinsece et accidentaliter*. Et hoc est quod semper inculcat S. Thomas, sive loquendo de malo in genere, utrum corrumpat bonum [1]; sive etiam specialiter loquendo de malo morali seu de peccato, utrum peccatum diminuat aut totaliter auferat bonum humanae naturae [2].

Et quidem haec diminutio potest in infinitum protrahi, sicut et contraria augmentatio, quemadmodum idem Thomas observat locis citatis.

680. *Secunda lex: Alteratio proprie dicta potest ex consequenti et per redundantiam quamdam directam immutare et perturbare organa corporalia, habitus entitativos, facultates organicas, habitus operativos in ipsis subiectatos, qui ideo corrumpi possunt aut diminui involuntarie.*

Unde potest quis ex causa omnino involuntaria amittere istos habitus quantum ad id quod sunt, licet maneant in prima radice et virtualiter in ipsa anima intellectiva, prout accidit in anima separata ante corporis resurrectionem [3]. Non est ergo inconveniens dicere quod homo sine peccato careat his virtutibus, quia corrumpi valent etiam hac via naturali.

At istae alterationes non afficiunt directe facultates spirituales in seipsis, nempe intellectum et voluntatem, ideoque neque habitus immediate radicatos in ipsis. Ut enim dictum est in tractatu de actibus humanis, nequit dari redundantia directa, ex parte subiecti, partis inferioris in superiorem animae [4], sed solum per viam obiecti

---

[1] I, 48, 4. Cf. *Contra Gent.*, cap. 12, cum commentariis Ferrariensis.

[2] I-II, 85, 1-2, ubi etiam videnda sunt commentaria Salmanticensium, t. VIII, pp. 328-332; et *De malo*, q. 2, art. 11-12, ubi uberius et clarius rem hanc exponit.

[3] I-II, 67, 1 ad 3; 67, 2.

[4] I-II, 9, art. 2 et 5.

vel potius materiae obiecti; nam perturbato sensu interiori, perturbatur appetitus sensitivus sequens apprehensas formas eius; et aliquando e converso, perturbatio appetitus perturbat consequenter sensus interiores, qui directe praebent phantasmata intellectui agenti et possibili veluti materiam obiecti prorprii eorum. Hac ergo via et occasionaliter possunt influere in actus intellectus; et mediantibus talibus actibus, in habitus intellectus et in actus et habitus voluntatis. Sed proprie loquendo non attingunt ipsam essentiam horum habituum, sed *usum vel exercitium* eorum prout pendet a facultatibus organicis.

Unde S. Thomas energice et verissime ait quod «scientia non removetur per motum corporalem (=alterationem sive voluntariam sive naturalem) quantum ad ipsam *radicem* (=essentiam) habitus, sed solum quantum ad impedimentum *actus*, in quantum intellectus indiget in suo *actu* viribus sensitivis, quibus impedimentum affertur per corporalem transmutationem» [1]; nam «pars intellectiva animae secundum se est supra tempus, sed pars sensitiva subiacet tempori, et ideo per temporis cursum transmutatur quantum ad passiones appetitivae partis et etiam quantum ad vires apprehensivas» [2].

Dicendum est ergo «quod *per aegritudinem* corrumpitur habitus scientiae quantum ad id quod est *materiale* in eo, scilicet quantum ad phantasmata, non autem quantum ad *species* intelligibiles, quae sunt in intellectu possibili» [3].

Et clarius adhuc hanc dependentiam habituum superiorum a parte inferiori expressit his verbis: «Perfectio autem superioris partis animae, *quantum ad sui generationem* dependet a bona dispositione inferiorum partium, *non autem quantum ad sui conservationem*; homo enim naturaliter per inferiora et sensibilia ad interiora intelli-

---

[1] I-II, 53, 1 ad 3.

[2] I-II, 53, 3 ad 3.

[3] I-II, 67, 2 ad 2.

gibilia pertingit; unde etiam defectus visus aut auditus potest impedire *acquisitionem* scientiae, non tamen diminuit scientiam iam *acquisitam*»[1].

«Tempus est causa oblivionis *per accidens*, in quantum motus, cuius est mensura, est causa transmutationis corporalis[2].

Et ex hoc apparet falsam esse doctrinam eorum qui ponunt alterationes in ipso intellectu et voluntate; et aegritudines quasdam veluti compositas, seu alterationes plus minusve transitorias vel permanentes animae et corporis, fingunt. Et ita loquuntur de neurasthenia, de hysteria, de epilepsia, de degeneratione, de abulia, de amentia, quae si negativa sit dicitur dementia, si vero positiva dicitur mania aut paranoia. Dementia autem multipliciter distinguitur: in minori gradu est imbecillitas, in maiori gradu dicitur stupiditas, quae si simul sit cum deformatione organica dicitur cretinismus. Insuper dementia quandoque est precox, quandoque senilis, quandoque paralytica.

At nequaquam dicere licet intellectum aut voluntatem esse diminutos aut debilitatos, quia ut sic semper menent integri; solum ergo quantum ad operationes et per accidens propter appositionem impedimentorum dici possunt debilitari; proprie enim solum debilitantur organa et vires organicae. Secus, deberemus dicere quod ipsa synderesis et habitus intellectus essentialiter vel quantum ad radicem suam tanguntur. Quanto ergo profundius et accuratius loquutus est S. Thomas!

681. *Tertia lex: Non semper aequalis numerus actuum requiritur ad diminutionem vel etiam corruptionem eiusdem habitus, sicut et proportionaliter pro generatione et augmentatione dictum est.*

Hoc enim pendet ex maiori vel minori intensitate actus, et ex maiori vel minori praedispositione subiecti ad

---

[1] *De malo*, 7, 2 ad 6.
[2] *Supp.* 98, 7 ad 6.

diminutionem et corruptionem. Unde iidem numero actus possunt minuere tantum habitus in uno et corrumpere in alio.

Et similiter dicendum est quantum ad *tempus vel momentum quo* accidit diminutio vel corruptio. Possumus enim dicere quod diminutio accidit statim ac potentia vel habitus superior debilius influit modo permanenti in inferiorem habitum; corruptio autem, quando omnino cessat modo habituali et diuturno ab isto influxu. Tunc enim incipiunt crescere aut generari dispositiones contrariae, usque dum evadunt vere habituales, et tunc eodem instanti temporis quo producitur talis habitualis dispositio, cessat vel corrumpitur habitus contrarius.

Habitus morales non sunt corruptibiles uno solo actu contrario, sed pluribus repetitis, sicut neque uno solo actu erant generabiles quantum ad essentiam suam; e contra, habitus intellectuales mediati seu illativi possunt uno solo actu corrumpi quantum ad essentiam vel speciem suam sicut et generari poterant uno solo actu, quando nempe directe contrariatur obiecto formali *quo* vel *quod* aut primae conclusioni, nam respectu ceterarum conclusionum plus minusve remotarum non corrumpitur uno solo actu.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES ARTICULORUM QUAESTIONIS

A. *Difficultates articuli primi*

682. *Obiectio prima:* Natura non corrumpitur manente eo cuius est natura. Atqui habitus est natura quaedam, nam habitus per se primo dicitur in ordine ad naturam subiecti in quo est, et propterea dicitur «secunda natura». Ergo manente subiecto habitus, habitus non corrumpitur. Saltem ergo sunt incorruptibiles illi habitus qui sunt, sicut in subiecto, in subiecto incorruptibili.

683. *Respondetur. Distinguo mai.:* Natura non corrumpitur manente eo cuius est natura, natura prima vel

substantialis non corrumpitur manente eo cuius est natura, nempe manente subiecto *quod, concedo*; natura secunda vel accidentalis non corrumpitur manente subiecto eius, *subdistinguo*: non corrumpitur per accidens ex parte causae quasi materialis, *concedo*; non corrumpitur per se nec per accidens alio genere causae, si contingat talem naturam secundum alias causas habere contrarietatem, *nego*.

Contradistinguo min.: Habitus est natura quaedam, prima vel substantialis, *nego*; secunda vel accidentalis, quae recipitur in natura prima sicut in subiecto, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

In hac obiectione plures latent aequivocationes. *Prima* quidem in acceptione verbi «natura». Natura enim prima seu constitutiva seu dans speciem subiecto non destruitur manente subiecto, sicut neque specificatio corrumpitur manente specificato, eo quod effectus formalis est inseparabilis a forma; at habitus non est natura hoc modo, sed est natura «secunda» et in sensu diminuto et relativo et participato, quia est essentialiter forma quaedam accidentalis relativa, quae non dat speciem subiecto vel naturae primae cui inest. *Secunda* aequivocatio datur in acceptione verbi «subiectum», quia subiectum potest esse etiam primum seu *quod*, et secundum et immediatum seu *quo*. Iam vero habitus non semper afficit subiectum *quod* modo directo, sed plerumque afficit tantum potentiam operativam, quae est subiectum *quo*. Licet ergo maneat subiectum *quod*, si tamen dispareat subiectum *quo*, potest habitus corrumpi.

Quod si proprium subiectum habitus sit corruptibile, tunc etiam ex hac parte corrumpi valet, sicut accidit in habitibus entitativis qui subiectantur in corpore, quod est subiectum corruptibile; *aliunde* etiam corrumpi potest, quia *non est unica causa* corruptionis corruptio subiecti; immo *neque principalis, sed potius contrarietas ex parte causae efficientis et formalis*.

Habitus tamen, eo ipso quod est secunda natura, *similitudinem* naturae primae participat, et ideo est *de se* permanens et difficile mobilis et incorruptibilis. Optime ergo Conradus Koellin ponit tres similitudines inter habitum et ipsam naturam, quando scribit: «Illud *sicut* (in verbis obiectionis: habitus est *sicut* natura quaedam) dicit similitudinem, non aequalitatem; similitudo autem non est omnino perfecta; quare sicut natura est omnino irremovibilis, ita habitus difficulter removetur; et est similitudo in alio: quia sicut id quod procedit a natura est delectabile, ita quod ex habitu; item, sicut natura operatur eodem modo ut in pluribus, ita habitus, singulariter appetitivus. Unde possibile est quod id quod est contra naturam in se, est delectabile propter habitum, ut patuit supra, quaestione 31, articulo septimo»[1].

Obiectio ergo procedit *ex sophismate a secundum quid ad simpliciter*; quia enim habitus assimilatur naturae primae *secundum quid* seu in quibusdam et aliquo modo, concludere vult ad similitudinem *simpliciter* seu totalem. Est autem tanta differentia inter utrumque sicut inter substantiam et accidens et sicut inter id quod naturale est —ut sunt potentiae naturales— et id quod est adventitium seu acquisitum, ut sunt habitus operativi. Et hac de causa dixit Aristoteles quod illi qui sunt incontinentes ex consuetudine sunt magis sanabiles quam illi qui incontinentes sunt a natura, quasi ex naturali corporis complexione vel temperanmento[2].

684. *Obiectio secunda*. Saltem habitus scientiae est incorruptibilis. Aut enim corrumperetur *per accidens*, ad corruptionem subiecti, et hoc est impossibile, cum subiectum scientiae sit intellectus possibilis qui incorruppibilis est; aut corrumperetur *per se*, ex causa contraria, et neque hoc est possibile, quia species intelligibiles non habent contrarium.

685. *Respondetur. Concedo mai.*: aut corrumperetur per se aut per accidens. *Nego min.* Quia potest corrumpi

---

[1] Conradus Koellin, *In I-II*, h. l., edit. cit., p. 358 a.
[2] S. Thomas, *In VII Ethic.*, lect. 10, in fine.

per se, non quidem propter contrarietatem ipsarum specierum intelligibilium secundum se, sed propter contrarietatem *ordinationis* earum in propositionibus et in syllogismo, ut ex dictis patet; insuper, corrumpi potest *per accidens*, non quidem ex corruptione subiecti principalis, sed ex parte causae *efficientis* seu conservantis, eo modo quo in expositione doctrinae dictum est.

686. *Obiectio tertia*. Quod non est alterabile non est corruptibile. Atqui habitus scientiae et virtutis non sunt alterabiles. Ergo habitus scientiae et virtutis non sunt corruptibiles.

687. *Respondetur. Distinguo mai.*: Quod non est alterabile neque motu alterationis proprie dictae neque motu alterationis analogice sumptae, non est corruptibile, *concedo*; quod non est alterabile alteratione proprie dicta, bene vero alteratione analogice dicta, non est corruptibile, *subdistinguo*: non est corruptibile proprie, sicut corpora alterabilia, *concedo*; non est corruptibile analogice, sicut res amissibiles vel destructibiles, *nego*.

Contraditinguo min.: Scientia et virtutes non sunt alterabiles motu alterationis proprie et univoce dictae, *concedo*; motu alterationis analogice et metaphysice sumptae, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Solutio patet ex dictis dum exponeremus doctrinam articuli. Corruptio physica fit motu alterationis physico; at corruptio metaphysica qualitatum spiritualium potest fieri motu quodam proportionali metaphysico, qui potest dici analogice alteratio quaedam. Unde uno verbo S. Thomas respondet quod «per intelligibilem *motum* rationis potest corrumpi habitus scientiae, etiam quantum ad ipsam radicem habitus» [1].

Virtutes autem morales non sunt firmiores et permanentiores virtutibus intellectualibus quantum ad *essentiam* vel *radicem* habitus, quae sumitur ex propriis causis eius, sed quantum ad *usum* vel *exercitium* in hac vita. In ratione ergo habitus, virtutes morales sunt multo imperfectiores intellectualibus, ut supra dictum est, ex I Parte, quaestione 66, articulo tertio ad primum, et valde clare exponitur in fine huius solutionis ad tertium.

[1] S. Thomas, *hic*, ad 3.

Verbum autem Aristotelis si inspiciatur in suo contextu (I Ethicorum, cap. 10, n. 10), hoc et nihil aliud postulat. Loquitur enim ibi de beatitudine, quae consistit in operatione et de se postulat statum vel permanentiam. Iam vero, bona corporalia et exteriora caduca et fluxa sunt; bona autem animae sunt digniora et firmiora; sed usus vel operatio scientiae mere speculativae in hac vita non potest multum durare, dum e contra usus vel operatio virtutum moralium continuo esse potest. Unde pro hac vita praesenti, quae activa maxime est, beatitudo consistit in exercitio virtutum moralium seu activarum.

Et S. Thomas, exponens locum illum Aristotelis, egregie scribit: «Nihil enim *humanorum* invenitur esse ita constanter permanens sicut *operationes* secundum virtutem. Manifestum est enim quod exteriora bona, et etiam interiora bona ad corpus pertinentia, cum sint materialia et corporalia, per se subiecta sunt mutationi; ea vero quae ad animam pertinent, solum per accidens; unde minus subiacent mutationi.

Eorum vero quae ad animam pertinent, quaedam pertinent ad intellectum, sicut scientiae; quaedam vero ad operationes vitae, sicut virtutes. Quae quidem permanentiores sunt ipsis disciplinis, idest scientiis demonstrativis.

Quod quidem intelligendum est, *non quantum ad materiam* (*obiectum*), nam scientiae demonstrativae sunt circa necessaria, quae impossibile est aliter se habere; sed est intelligendum *quantum ad exercitium actus*; non enim imminet nobis ita continuum exercitium speculationis scientiarum sicut operationum secundum virtutem.

Continuo enim occurrunt nobis ea in quibus oportet nos agere secundum virtutem vel contra virtutem, sicut usus ciborum, consortia mulierum, collocutiones homi-

num ad invicem et alia huiusmodi, in quibus continuo versatur vita humana.

Unde oportet quod habitus virtutis magis *per consuetudinem* firmetur in homine quam habitus scientiae; et inter ipsas virtutes, illae quae sunt honorabilissimae videntur esse permanentiores res, tum quia magis intense, tum quia magis continue operantur homines ad hoc quod secundum eas vivant.

Et tales sunt operationes virtutum in quibus consistit felicitas, quia sunt perfectissimae ut dictum est; et istud naturaliter est causa quare homo non obliviscitur esse virtuosus, quia scilicet *continue* in his homo exercitatur.

Est et alia causa, quia scilicet virtus consistit principaliter in appetitus inclinatione, quae per oblivionem non tollitur»[1].

B. *Difficultates articuli secundi*

688. *Obiectio prima.* Forma essentialiter simplex non est essentialiter diminuibilis, quia aut tota retinetur aut tota amittitur. Atqui habitus est forma essentialiter simplex. Ergo habitus non est essentialiter diminuibilis.

689. *Respondetur. Distinguo mai.*: Forma essentialiter simplex, dum modo sit *substantialis et absoluta*, non est essentialiter diminuibilis, *concedo*; forma essentialiter simplex, *accidentalis tamen et relativa* ad subiectum in quo est et ad obiectum ad quod est, non est essentialiter diminuibilis, *nego*.

Contradistinguo min.: Habitus est forma essentialiter simplex, accidentalis tamen et relativa ad subiectum in quo est et ad obiectum ad quod est, *concedo*; substantialis et absoluta, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam.*

---

[1] *In I Ethic.*, lect. 16.

Solutio patet ex dictis supra, quaestione 52, articulo primo. Simplex enim uno modo potest latitudinem quamdam *virtualem* habere, per ordinem ad alia ad quae dicit relationem transcendentalem. Et sic, absolute considerata seu in abstracto, forma habitus est essentialiter quid simplex; at haec forma est essentialiter *relativa* et ad subiectum et ad obiectum; et ideo, *utpote accidentalis*, dicit ordinem transcendentalem ad proprium *subiectum*, cum quadam possibili latitudine; et, *utpote relativa*, maxime si operativa sit, dicit ordinem transcendentalem ad proprium obiectum attingendum, cum magna latitudine, eo vel magis si obiectum illud ulterius virtualitatem magnam habeat et plura alia sub se contineat ordinata ad unum principale, sicut accidit in scientiis.

690. *Obiectio secunda.* Ad impossibile. Si habitus diminueretur, diminutio conveniret ei aut ratione *sui* aut ratione *subiecti* in quo est. Atqui neutrum dici potest. *Non primum*, quia tunc eadem species habitus praedicaretur de suis individuis inaequaliter, idest secundum magis et minus, quod absurdum est. *Non secundum*, quia tunc conveniret ei diminutio per accidens et non esset quid commune formae et subiecto formae. Ergo nullo modo habitus diminui potest.

691. *Respondetur. Concedo mai. et nego min. et consequentiam.*

Revera enim diminutio convenit habitui et secundum se et ratione inhaerentiae subiecti. *Secundum rationem inhaerentiae in subiecto*, quia est forma *accidentalis*, quae non dat esse specificum subiecto, et ideo latitudinem quamdam habet prout subiectum magis vel minus participat formam illam et plus minusve ab ea actuatur et informatur et perficitur; *secundum se etiam*, quia habitus est essentialiter forma quaedam *relativa* in ordine ad finem subiecti, qui est perfecta informatio a forma illa vel perfecta operatio, secundum modum suum. Quocumque autem modo sumatur diminutio, essentialiter convenit habitui seu afficit ipsam essentiam habitus, *tum*

quia utrique extremo dicit relationem transcendentalem seu *essentialem*, ut forma accidentalis et ut forma relativa, *tum* etiam quia haec duplex consideratio non dicit diversas res distinctas aut separatas, sed distinctas considerationes unius eiusdemque realitatis. Unde ipse S. Thomas iam praeoccupavit istam difficultatem quando supra, quaestione 52, articulo primo, dixerat: «Non autem haec distinctio procedit secundum hoc quod forma habeat esse praeter materiam vel subiectum, sed quia alia est *consideratio* eius secundum rationem speciei suae, et alia secundum quod participatur in subiecto», nam prima est specifica, alia vero quasi generica; differentia autem et genus non dicunt diversas res neque diversam essentiam, sed unam eamdemque. Constat ergo obiectionem esse vere puerilem.

692. *Obiectio tertia.* Per modum instantiae cuiusdam. Quod non convenit habitui secundum se vel ratione sui, non convenit ei secundum participationem in subiecto, quia de essentia habitus est dicere ordinem ad subiectum et per illum ordinem definitur. Atqui diminutio potius dicitur de habitu secundum rationem subiecti quam secundum rationem sui, idest diminutio non convenit habitui secundum se. Ergo neque secundum participationem subiecti.

693. *Respondetur. Transeat maior, et nego minorem et consequentiam.*

Solutio patet ex dictis. In habitu sunt duae rationes essentialiter distinctae in una tamen essentia, nempe ratio formae *accidentalis* qua convenit cum omnibus accidentibus, et quaecumque hoc modo conveniunt ei, conveniunt per ordinem ad subiectum in quo est, et a subiecto accipitur formalis denominatio; alia ratio est *specifica* et propria, nempe ratio formae accidentalis, quae est qualitas primae speciei, et haec est essentialiter forma quaedam relativa quae per se primo definitur per ordinem ad terminum vel finem a quo specificatur, et sic formalis denominatio intensionis et remissionis incipit a forma et

terminatur ad obiectum, quod insuper habere potest aliquando virtualitatem et latitudinem quamdam, etiam secundum se.

Habitus ergo utroque modo augeri et minui potest, quia est forma accidentalis *relativa*; si vero esset forma accidentalis *absoluta*, tunc non posset augeri et minui nisi secundum inhaerentiam vel per comparationem ad subiectum [1].

C. *Difficultates articuli tertii*

694. *Obiectio prima.* Quod non causat corruptionem aut diminutionem qualitatis *debilioris* non causat corruptionem aut diminutionem qualitatis *firmioris*. Atqui sola cessatio ab opere non causat corruptionem aut diminutionem qualitatis *debilioris*, nempe *tertiae speciei qualitatis*, quae est passio et patibilis qualitas. Ergo sola cessatio ab opere non causat corruptionem aut diminutionem qualitatis firmioris, quae est qualitas primae speciei, nempe dispositionis et habitus.

695. *Respondetur. Transeat mai. vel potius distinguo:* quando cetera omnia sunt paria utrobique, *concedo*; quando non paria, sed inaequalia, *nego*.

Nego min. et consequentiam.

Ratio solutionis est quia quandoque sunt quaedam qualitates tertiae speciei quae, etsi non operentur, non tamen insurgunt ipso facto contraria corrumpentia aut diminuentia; quandoque vero insurgunt, et tunc si non operentur, per accidens corrumpuntur aut diminuuntur per solam cessationem ab opere, sicut calor aeque diminuitur aut etiam totaliter corrumpitur per solam cessationem a calefaciendo. Unde in maiori dixi: ceteris paribus.

---

[1] Cf. responsionem S. Thomae et ea quae dicta sunt supra, ad q. 52, art. 1.

Respectu vero habituum humanorum in hac vita semper occurrunt contraria corrumpentia aut diminuentia, nisi per positivos actus removeantur [1].

696. *Obiectio secunda.* Diminutio et corruptio habitus sunt motus quidam causati ab aliquo movente, quia omnis motus est ab aliquo movente. Atqui cessatio ab opere seu a motu activo non est aliquid movens, sed potius contrarium. Ergo diminutio et corruptio habitus nequeunt causari a sola cessatione ab opere.

697. *Respondetur. Distinguo mai.*: Diminutio et corruptio habitus sunt quidam motus causati ab aliquo movente, per se vel per accidens movente, *concedo*; per se tantum et semper, *nego*.

Contradistinguo min.: Sola cessatio ab opere habitus non est aliquod principium movens ad diminutionem vel corruptionem eius, per se, *concedo*; non est principium movens per accidens, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam.*

Sola ergo cessatio ab opere habitus potest esse causa diminutionis et corruptionis habitus, non quidem per modum moventis per se et principaliter, sed per accidens et secundario, eo modo quo removens prohibens est causa per accidens motus [2].

698. *Obiectio tertia.* Quae sunt *supra tempus* non corrumpuntur neque diminuuntur per *diuturnitatem temporis*, ad quam reducitur cessatio totalis *a motu* seu *ab opere*, quod *tempore* mensuratur. Atqui saltem habitus spirituales, nempe scientiae et virtutes, quae sunt sicut in subiecto in facultatibus pure spiritualibus, quae sunt supra tempus, sunt et ipsae supra tempus. Ergo saltem scientiae et virtutes sunt habitus qui non corrumpuntur aut diminuuntur per diuturnitatem temporis seu per solam cessationem ab opere.

---

[1] Cf. S. Thomam, *De malo*, 2, art. 11-12.
[2] Cf. *De malo*, 2, art. 11 initio corporis articuli.

699. *Respondetur. Distinguo mai.*: Quae sunt supra tempus *totaliter seu omnino*, idest tum *secundum se et essentialiter* tum *secundum accidentalia* et disponentia, non corrumpuntur neque diminuuntur per diuturnitatem temporis, *concedo*; quae sunt supra tempus *secundum aliqua tantum*, non corrumpuntur neque diminuuntur per solam cessationem ab opere, *subdistinguo*: non corrumpuntur quantum ad ea quae sunt supra tempus, *concedo*; non corrumpuntur quantum ad ea quae non sunt supra tempus, *nego*.

Contradistinguo min.: Scientiae et virtutes sunt habitus qui supra tempus, *totaliter* seu omnino, *nego*; *partialiter seu quoad aliquid*, *subdistinguo*: quantum ad id quod essentiale et *formale* est in ipsis, *concedo*; quantum ad id quod accidentale et *materiale* et dispositivum est in eis, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam.*

Solutio patet ex dictis, quia hac via, per accidens et accidentaliter corrumpi et diminui possunt, pro gradu dependentiae a corporalibus et sensibilibus.

CAPUT II

DE CORRUPTIONE ET DIMINUTIONE HABITUUM SUPERNATURALIUM

700. Consequenter, secundum promissa, agendum est de corruptione et diminutione habituum supernaturalium; et quidem modo proportionali considerabimus: primo, corruptionem seu amissionem; secundo, diminutionem eorum.

§ I

DE CORRUPTIONE HABITUUM SUPERNATURALIUM

701. Ut in hac re clare procedamus, possumus distinguere habitus intrinsece supernaturales in tres series: Prima series continet omnes habitus communes statui viae et statui termini, et sunt gratia sanctificans, caritas, dona Spiritus Sancti et virtutes morales infusae; secunda series continet habitus supernaturales proprios solius status viae, et isti sunt fides et spes theologica; tertia series continet habitus proprios solius status termini vel patriae, et isti sunt lumen gloriae et beatitudo formalis ut status.

Circa singulas autem series discutiemus et *factum* corruptibilitatis vel incorruptibilitatis, et *rationem* vel *causam* eius.

A. *De corruptione habituum communium viae et termino*

702. Ut modo dictum est, habitus *communes* viae et termino sunt illi omnes qui non solum in iustis in hac vita, sed et in altera a beatis habentur; et revera sunt illi omnes habitus qui necessario connexi sunt cum gratia sanctificante, nempe caritas, dona Spiritus Sancti et virtutes morales infusae. Videnda est ergo eorum corruptibilitas in statu viae et in statu termini.

1. *De corruptione habituum communium viae et termino in statu viae*

a) *De facto corruptionis seu amissionis vel saltem de eius possibilitate*

703. Quia non est eadem certitudo quoad connexionem gratiae et caritatis ex una parte, et donorum Spiritus Sancti et virtutum moralium cum gratia et caritate ex alia parte, ideo factum distinctim quoad utramque seriem considerabimus.

704. α) *De facto corruptionis gratiae et caritatis in statu viae.* Ut in tractatu de caritate dicendum est, negaverunt caritatem et gratiam semel habitam amitti posse tum Iovinianus, ut refert S. Hieronymus [1], tum calvinistae quidam, tum alio sensu amauriani, quibus ex parte accedunt beguardi et beguinae [2], et quietistae [3].

Est autem *de fide* gratiam et caritatem viae amitti posse et quandoque *de facto* amissam fuisse. Ita, Concilium Tridentinum docet sub anathematis poena, Adamum, cum mandatum Dei in paradiso transgressus est,

[1] S. Hieronymus, *Lib. II adversus Iovinianum*, n. 1, ML. 23, 281.
[2] Concilium Viennense, Denz. 471.
[3] Innocentius XI, *Errores Michaelis de Molinos*, Denz. 1277, 1281, 1282, 1272, 1275; Clemens XI, *Errores Paschasii Quesnel*, Denz. 1393.

statim *sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse* [1]. Constat etiam ex Sacris Litteris David et Salomonem a gratia Dei aliquando excidisse; et idem dic de Petro Apostolo et de Iuda Iscariote.

Praeterea, idem Concilium definit: «Si quis hominem *semel iustificatum* dixerit amplius peccare non posse *neque gratiam amittere*, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse iustificatum... anathema sit» [2]. Et idem supponit Concilium quando loquitur *de Sacramento poenitentiae*, quod proprie est contra peccata mortalia post baptismum commissa, quibus gratia et caritas Dei amissa erat [3].

Aliunde idem Concilium explicat iustificationem, quae formaliter fit per gratiam sanctificantem, *per ipsam caritatem*, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum eique inhaeret [4].

De gratia ergo et caritate sunt explicita documenta quod amitti possunt in hac vita et quod de facto quandoque amissae fuerunt.

705. β) *Quantum vero ad alios habitus supernaturales minor est certitudo.* Tamen sunt quaedam Ecclesiae documenta. Nam de connexione *donorum Spiritus Sancti* cum caritate et de eorum in coelo permanentia, exstat doctrina Leonis XIII in Encyclica «Divinum illud munus»; de exsistentia autem et connexione *virtutum moralium* cum gratia et caritate, adest suppositio in responsione Innocentii III ad Isambertum Arelatensem [5] et in Concilio Viennensi [6], et clare in causa beatificationis et canonizationis servorum Dei [7], ubi examinanda et probanda est exsistentia virtutum cardinalium *in gradu he-*

[1] Concilium Tridentinum, ses. 5, Denz. 788.
[2] Concilium Tridentinum, ses. 6, can. 23, Denz. 833.
[3] Concilium Tridentinum, ses. XIV, can. 1, 2, Denz. 911, 912.
[4] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 7, Denz. 800; Concilium Arausicanum II, can. 25, Denz. 198.
[5] Innocentius III, *Maiores Ecclesiae causas*, Denz. 410.
[6] Concilium Viennense, *Errores Petri Ioannis Olivi*, Denz. 483.
[7] C. I. C., can. 2104.

roico; quae, certe, *non sunt virtutes naturales et acquisitae*, quae sanctitatem supernaturalem non afferunt; sed infusae et supernaturales. Quod si ita est, simul causantur et conservantur et crescunt et pereunt. Unde communis sententia theologorum est quod, una cum gratia et caritate, amittuntur etiam dona Spiritus Sancti et virtutes morales infusae.

b) *De ratione vel causa huius corruptionis vel amissionis*

706. De fide est *omni et soli peccato mortali*, et non tantum peccato infidelitatis, amitti gratiam et caritatem, et consequenter ceteros habitus infusos necessario connexos cum gratia et caritate.

Omni quidem mortali peccato, nam docet Tridentinum: «Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, *asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato*, quamvis non amittatur fides, *acceptam iustificationis gratiam amitti*, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces [1], ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata» [2].

Unde «si quis dixerit nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit» [3]; et «si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit» [4].

Solo etiam mortali peccato; nam idem Concilium ait: «Licet enim in hac mortali vita, quantumvis *sancti et iusti*, in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, *non propterea desinunt esse iusti*; nam *iustorum* illa vox est et humilis et verax: dimitte nobis debita nostra» [1]; «nam venialia, *quibus a gratia Dei non excludimur* et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt» [2].

---

[1] *I Cor.* 6, 9 sqs.
[2] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 15, Denz. 808.
[3] Concilium Tridentinum, ses. 6, can. 27, Denz. 837.
[4] Concilium Tridentinum, ses. 7, can. 6, Denz. 862.

Hoc ergo dato ex doctrina fidei, *ratio* theologica, hoc est, scientia sacra debet explicare tria: primo, *rationem connexionis* inter gratiam seu caritatem et ceteros illos habitus supernaturales, quos diximus; secundo, hoc dato, *cur solo peccato mortali* corrumpantur vel amittantur et non aliis de causis; tertio, dato quod solo mortali peccato destruantur, *quomodo* peccatum mortale corrumpit hos habitus.

707. α) *Exsistentia virtutum moralium infusarum et ratio connexionis earum cum caritate.*

Exsistentia earum. Ratio cur dentur virtutes morales infusae ultra virtutes morales acquisitas est *duplex*: *Prima* procedit *ex proportione mediorum et finis et est huiusmodi*: principia operationum circa media debent esse proportionata principiis operationum circa finem, quia inter finem et media appropriata ad finem debet esse proportio. Atqui principia operationum circa finem supernaturalem sunt intrinsece supernaturalia et infusa a Deo, nempe virtutes theologicae; principia autem circa media, proportionata fini supernaturali et principiis supernaturalibus circa finem, non possunt esse nisi principia intrinsece supernaturalia et infusa; et haec sunt virtutes morales. Ergo dari debent virtutes morales infusae seu intrinsece supernaturales. Aliis verbis: ea-

---

[1] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 11, Denz. 804.
[2] Concilium Tridentinum, ses. 14, c. 5, Denz. 899.

dem est proportio virtutum moralium ad theologicas quae est inter finem supernaturalem et media ad hunc finem, quia virtutes theologicae sunt circa finem, morales autem sunt circa media. Atqui media ad finem intrinsece supernaturalem ducentia sunt intrinsece supernaturalia sicut ipse finis. Ergo et virtutes morales subservientes theologicis debent esse intrinsece supernaturales seu infusae. Theologicae ordinant intentionem; morales vero executionem in finem supernaturalem intentum.

Secunda ratio procedit *ex proportione inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem*. Ita se habent in ordine supernaturali virtutes circa media ad virtutes circa finem sicut in ordine naturali virtutes acquisitae ad primas et congenitas, nempe ad synderesim et intellectum. Atqui in ordine naturali, ultra istas virtutes immediatas circa principia, dantur etiam aliae proportionatae naturales circa media et conclusiones. Ergo et in ordine supernaturali dari debent virtutes supernaturales et infusae circa media, ultra virtutes supernaturales et infusas circa finem.

Et ex hac duplici ratione apparet etiam quod istae virtutes morales infusae debent esse *intrinsece* supernaturales seu quoad *substantiam*, et non quoad modum tantum, quia secus non esset proportio *intrinseca* et realis inter media et finem neque inter ordinem naturalem et supernaturalem, nam tunc ordo naturalis esset melior et magis perfectus in suo genere quam ordo supernaturalis in suo [1]; consequenter debent esse specifice seu essentialiter distinctae a virtutibus moralibus acquisitis circa eamdem materiam.

708. *Connesio earum essentialis cum gratia et caritate.*

Connexio cum gratia sanctificante apparet ex duobus: *Primo, ex proportione inter ordinem naturalem et supernaturalem*, hoc modo: ita se habent virtutes morales infusae et dona Spiritus Sancti ad gratiam sanctificantem in ordine supernaturali, sicut in ordine naturali se habent potentiae animae ad ipsam essentiam animae. Atqui in ordine naturali potentiae animae necessario connectuntur cum essentia animae, sicut cum propria origine et radice cuius sunt veluti surculi et dimanationes vel proprietates. Ergo et in ordine supernaturali virtutes morales infusae et dona Spiritus Sancti necessario connectuntur cum gratia sanctificante. *Secundo, ex proprio conceptu gratiae sanctificantis seu iustitiae personalis.* Iustitia enim qua iustificatur impius non est iustitia particularis, sed generalis quae complectitur omnes virtutes quae ad perfectam sanationem hominis peccatoris requiruntur. Unde argumentum: partes *quasi integrales et potentiales* alicuius totius sunt necessario connexae in illo toto, utpote in eo naturaliter inclusae. Atqui omnes virtutes supernaturales sunt veluti partes integrales et potentiales iustitiae qua impius iustificatur et sanctificatur, quae est gratia integraliter sumpta. Ergo omnes virtutes sunt necessario connexae cum gratia sanctificante et in ea inclusae.

[1] S. Thomas, I-II, 63, 3-4.

Connexio virtutum moralium infusarum cum caritate constat ex dictis: Virtutes necessario et essentialiter connexae cum virtute necessario et essentialiter connexa cum caritate, sunt et ipsae essentialiter et necessario connexae cum caritate. Atqui virtutes morales infusae sunt essentialiter et necessario connexae cum prudentia infusa, quae aliunde est et ipsa necesario et essentialiter connexa cum caritate. Ergo virtutes morales infusae sunt necessario et essentialiter connexae cum caritate.

Maior patet, quia quae sunt connexa cum tertio sunt connexa inter se.

Minor constat *quoad connexionem virtutum moralium infusarum cum prudentia infusa*, quia ita se habent virtutes morales infusae ad prudentiam infusam sicut se habent virtutes morales acquisitae ad prudentiam acquisitam. Atqui virtutes morales acquisitae sunt neces-

sario et essentialiter connexae cum prudentia acquisita, ita ut neque illae sine prudentia neque prudentia sine illis dari possint. Ergo et virtutes morales infusae sunt necessario et essentialiter connexae cum prudentia infusa.

Quoad connexionem vero prudentiae infusae cum caritate constat, quia ita se habet prudentia infusa ad caritatem, sicut se habet prudentia acquisita ad synderesim et ad naturalem inclinationem voluntatis in bonum honestum. Atqui prudentia acquisita est necessario et essentialiter connexa cum synderesi et naturali inclinatione voluntatis ad bonum. Ergo et prudentia infusa est necessario et essentialiter connexa cum caritate[1].

Connexio donorum Spiritus Sancti cum caritate. Ita se habent dona Spiritus Sancti ad caritatem, sicut se habent virtutes morales acquisitae ad prudentiam acquisitam et virtutes morales infusae ad prudentiam infusam. Atqui virtutes morales acquisitae necessario et essentialiter connectuntur cum prudentia acquisita, et similiter virtutes morales infusae cum prudentia infusa. Ergo et dona Spiritus Sancti necessario et essentialiter connectuntur cum caritate.

Maior, ubi unice potest esse difficultas, facile patet. Nam dona Spiritus Sancti disponunt formaliter vires nostras ut facile moveantur a ratione divina per impulsum Spiritus Sancti, sicut virtutes morales disponunt formaliter vires appetitivas ut facile moveantur a ratione humana per prudentiam. Atqui haec facilitas non habetur absque coniunctione permanenti cum Spiritu Sancto movente, quia movens et motum oportet esse simul seu connexa; aliunde autem Spiritus Sanctus non unitur nobis nisi nobis inhabitando, quod fit per caritatem, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ergo dona Spiritus Sancti revera connectuntur necessario et essentialiter cum caritate[2].

---

1 I-II, 65, 1-3.
2 I-II, 68, 5.

709. β) *Cur haec omnia corrumpantur solo peccato mortali.*

Hi enim omnes habitus infusi considerari possunt ex *triplici* capite: uno modo, ex parte propriae *causae efficientis* eorum, quae Deus est, qui secundum se non corrumpitur neque etiam desinit quemquam nisi prius deseratur; ex hac ergo parte isti habitus sunt inamissibiles et incorruptibiles; alio modo, *ex parte sui vel secundum essentiam suam* et per ordinem ad proprium obiectum et finem, et hac etiam ex parte incorruptibiles sunt, quia sunt ordinis omnino spiritualis et super omnia corporalia, et insuper ab eis in quantum huiusmodi non potest ullum malum procedere; tertio modo, ex parte *receptibilitatis in subiecto*, et sic in statu viae amitti possunt, quia *mobiliter* recipiuntur, eo quod proprium subiectum, *secundum actus suos*, potest ad contraria divertere; est ergo *ex defectibilitate subiecti*, non quidem in essendo, sed in operando.

Potest enim subiectum horum habituum alios actus habere praeter actus eorum, et actus horum habituum cessare possunt, quia non semper in praesenti vita operantur actu. Isti autem actus distincti ab actibus horum habituum, in concreto seu individuo sumpti, necessario debent esse aut boni aut mali. Boni autem manifeste non corrumpunt eos. Mali vero possunt esse aut quia sunt *praeter* has virtutes, aut quia sunt *contra* eas.

Si sunt *praeter* has virtutes, sunt *peccata venialia*, et haec non expellunt gratiam et virtutes. Aut enim expellerent eas physice aut moraliter seu demeritorie. *Non physice*, quia non habent contrarietatem vel oppositionem, eo quod istae virtutes versantur cirra media contingentia vel de se indifferentia. *Neque moraliter seu demeritorie*, quia privatio gratiae et harum virtutum est maxima poena, quae a Deo non infligitur propter levem culpam.

Si vero sint *contra eas*, tunc sunt *peccata mortalia*, et haec etiamsi unum solum sit, totaliter corrumpit gratiam et virtutes istas infusas. Omne enim peccatum mor-

tale, licet non semper contrarietur aliis virtutibus infusis, semper tamen contrariatur directe —formaliter aut interpretative seu aequivalenter— caritati, quia semper importat contrarietatem voluntatis circa ipsum ultimum finem vel circa media mecessario connexa cum ultimo fine. Quod autem contrariatur caritati, in qua omnes illi habitus necessario connectabantur, eo ipso contrariatur omnibus illis. Atqui contraria nequeunt simul esse in eodem subiecto. Posito ergo uno peccato mortali, omnes isti habitus infusi eo ipso amittuntur. Unde damnata est sequens propositio Baii: «homo, exsistens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram caritatem; et caritas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu aeternae damnationis»[1].

Ceterum, haec contrarietas inter quodlibet peccatum mortale et caritatem uberius exponitur in tractatu de caritate[2]. Modo autem sufficiat dicere esse oppositionem vere contrariam.

Quia ergo solus actus peccati mortalis directe contrariatur caritati, ideo solum peccatum mortale corrumpit caritatem una cum gratia sanctificante et ceteris virtutibus infusis cum eis necessario connexis.

710. γ) *Quomodo peccatum mortale corrumpat hos habitus.*

Oportet ergo nunc videre *quomodo* peccatum mortale hos omnes habitus corrumpat. Et quidem certum est quod eos corrumpit eo modo quo corrumpit ipsam caritatem. Unde tota quaestio reducitur ad hoc, ut sciamus quomodo peccatum mortale corrumpit caritatem. Et dicendum est *peccatum mortale corrumpere caritatem non solum moraliter seu demeritorie, sed etiam physice ex natura sua.*

Moraliter quidem seu *demeritorie* eam corrumpit, quia ille qui graviter laedit amicitiam Dei, iuste mere-

[1] S. PIUS V, *Errores Michaelis Baii*, Denz. 1070.
[2] S. THOMAS, II-II, 24, 12.

tur ut Deus ei subtrahat amicitiam suam. Atqui peccatum mortale graviter laedit amicitiam Dei; subtrahere autem amicitiam divinam est tollere gratiam et caritatem. Ergo omne peccatum mortale moraliter seu demeritorie causat subtractionem amicitiae Dei seu gratiae et caritatis.

Physice etiam caritatem corrumpit, tum formaliter seu in genere causae formalis, tum efficienter seu in genere causae efficientis. *Formaliter* quidem, quia peccatum mortale directe et immediate contrariatur propriis causis caritatis, nempe propriae *causae* eam producentis et conservantis, quae est divinus amor efficax; et proprio *obiecto* seu specificativo caritatis, quod est divina bonitas. Quod autem directe et immediate contrariatur propriis causis caritatis, directe et immediate contrariatur ipsi essentiae caritatis ideoque formaliter eam expellit ab eodem subiecto.

Efficienter etiam eam expellit, non quidem attingens ipsam caritatem secundum se, prout est qualitas quaedam divina, sed attingens ultimam dispositionem subiecti seu voluntatis ad caritatem, quae est totalis et integralis submissio sui et suorum ad Deum. Haec autem dispositio removetur per quodlibet peccatum mortale, *efficienter*, quia quodlibet peccatum mortale causat in voluntate contrariam dispositionem, nempe rebellionem voluntatis contra Deum vel Dei praecepta.

Et haec dicta sufficiant hoc in loco, nam ista uberius exponuntur in tractatu de caritate.

2. *De corruptione habituum communium viae et termino in statu termini*

711. Et inde statim apparet quid dicendum est de gratia et caritate et istis habitibus prout sunt in termino seu in gloria. In hoc enim statu sunt penitus incorruptibiles seu inamissibiles, quia nulla adest possibilis cau-

sa corruptionis eorum. Unica enim causa corruptionis horum habituum est peccatum mortale, ut modo dictum est. Atqui in patria nullum datur nec dari potest peccatum, nec mortale nec veniale, quia de ratione beatitudinis est perfecta et absoluta impeccabilitas, ut ostendum est in I-II, quaestione 4, articulo 4, et quaestione 5, articulo 4. Ergo gratia et ceteri huiusmodi habitus, quando sunt in statu patriae nequeunt ullo modo corrumpi seu amitti.

Cessatio autem ab opere ibi dari nequit; quae tamen, quando inculpabilis est in hac vita, nihil agit pro corruptione horum habituum, ut patet in parvulis.

B. *De corruptione habituum propriorum statui viae*

712. Habitus supernaturales vel infusi proprii et exclusivi status viae sunt fides et spes. Quaeritur ergo utrum isti habitus corrumpantur et a quo corrumpantur, ac finaliter quomodo corrumpantur.

713. *Factum* corruptionis vel amissionis fidei et spei certum est. Quantum ad fidem manifesta sunt testimonia. Ita Paulus dicit quod «quidam... circa fidem *naufragaverunt*»[1], et «a veritate *exciderunt*»[2], et monet quod «in novissimis temporibus *discedent quidam a fide*, attendentes spiritibus carnis et doctrinae daemoniorum»[3].

Similiter docet quod fides et spes, quae imperfecta sunt et ex parte, *evacuabuntur* cum venerit quod perfectum est[4], nempe in patria.

714. *Causa* autem a qua corrumpuntur non est quodcumque peccatum mortale quo caritas et alii habitus

---

[1] *I Tim.* 1, 19.
[2] *II Tim.* 2, 18.
[3] *I Tim.* 4, 1.
[4] *I Cor.* 13, 8-13.

infusi amittuntur, sed solum peccatum *infidelitatis.* Nam *relate ad fidem* docet Tridentinum «etiam quocumque alio mortali pecrato, *quamvis non amittatur fides*, acceptam iustificationis gratiam amitti»[1]; et ideo «si quis dixerit nullum esse mortale peccatum *nisi infidelitatis* aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, *praeterquam infidelitatis* peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit»; et «si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, *et fidem semper amitti*, aut fidem *quae remanet* non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui *fidem sine caritate habet*, non esse christianum, anathema sit»[2].

Et Alexander VIII damnavit sequentem propositionem: «Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, *deficit etiam fides*, et etiamsi videantur credere, *non est fides divina*, sed humana»[3], et similiter Clemens IX damnavit hanc propositionem Quesnel: «Fides iustificat quando operatur, sed *ipsa non operatur nisi per caritatem*»[4]. Et Concilium Vaticanum I docet fidem mortuam seu sine caritate esse donum Dei[5].

Insuper, *relate ad spem* damnata est sequens propositio Quesnel: «Totum deest peccatori quando ei deest spes, et *non est spes in Deo ubi non est amor Dei*»[6].

In hac autem vita fides amittitur peccato *infidelitatis*: «infidelitate, *per quam et ipsa fides amittitur*»[7]; spes autem non aliis peccatis, sed *desperatione.*

715. *Munus autem theologi* est uberiuis *explicare causas* corruptionis fidei et spei et *modum* quo a causis illis corrumpuntur.

Ergo in fide et spe oportet duo considerare: 1°, id quod *essentiale* est eis prout sunt habitus supernatura-

---

[1] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 15, Denz. 808.
[2] Concilium Tridentinum, ses. 6, can. 27, 28, Denz. 837, 838.
[3] Alexander VIII, Denz. 1302.
[4] Clemens XI, *Errores Michaelis Quesnel*, Denz. 1401.
[5] Concilium Vaticanum I, ses. 3, c. 3, Denz. 1791.
[6] Clemens XI, *Errores Michaelis Quesnel*, Denz. 1407.
[7] Concilium Tridentinum, ses. 6, c. 15, Denz. 808.

les; 2°, id quod *accidentaliter* eis advenit ex informatione gratiae et caritatis, nempe ratio virtutis vivae et meritoriae et plenissime dictae.

Ergo *quantum ad rationem virtutis perfectae*, quae est virtus viva et meritoria, fides et spes corrumpuntur *quolibet peccato mortali*, sicut et caritas, a qua habent vitam et meritum.

Quantum vero ad rationem essentialem et specificam habitus, *fides* corrumpitur *triplici causa*: a) *peccato infidelitatis* ei directe opposito, quo nomine intelligitur peccatum *haeresis formalis* et *dubium fidei susceptae*; b) *subtractione divinae gratiae* seu illuminationis divinae, per modum punitionis pro mortalibus peccatis praecedentibus, etiamsi non sint peccata infidelitatis, sicut accidit daemonibus et damnatis in inferno, a quibus omnia supernaturalia removentur; c) *adventu gloriae* seu visionis facialis Dei, cum qua est *incompatibilis* imperfectio fidei [1]. Non autem corrumpitur aliis peccatis contra quamcumque aliam virtutem, etiam contra spem, quia fides secundum se prior est et pertinet ad ordinem cognitionis [2].

Spes autem, quantum ad rationem specificam habitus, corrumpitur *quadruplici causa*: a) peccato *desperationis* ei directe opposito, non autem necessario peccato praesumptionis, quae de se non evacuat rationem formalem spei [3]; b) indirecte, *peccato infidelitatis*, quia fides est fundamentum necessarium pro spe, sicut cognitio pro appetitione; c) *subtractione divini auxilii* ad sperandum, sicut accidit in damnatis; d) *adventu plenae comprehensionis* in gloria, cum qua est incompatibilis imperfectio spei [4].

716. *Quomodo autem istae causae producant corruptionem fidei et spei*, non est difficile videre. Nam corrup-

[1] S. Thomas, I-II, 67, 3.
[2] II-II, 20, 2.
[3] II-II, qq. 20-21.
[4] I-II, 67, 4.

tio fidei et spei quae venit *ex subtractione auxilii Dei* ad credendum et sperandum supernaturaliter, reducitur ad causam *efficientem per accidens*, quatenus auxilium huiusmodi erat vera et propria causa efficiens exsistentiae et conservationis horum habituum; remotio autem causae causat per accidens remotionem effectus. Non est ergo positiva anihilatio vel destructio ex parte Dei, sed simplex remotio influxus eius. Et sic nec in daemonibus nec in hominibus damnatis manet vera *fides* theologica vel supernaturalis, sed solum fides acquisita et naturalis, qua coacti evidentia signorum credunt et contremiscunt; et *minus adhuc potest esse spes*, quia haec nullo modo ibi datur, neque naturalis vel acquisita neque infusa, sed perfecta desperatio. Unde S. Thomas merito animadvertit quod spes est *adhuc magis impossibilis* in statu damnationis quam fides, ratione dicta [1].

Et ad idem genus causae reduci potest corruptio spei, quae provenit *ex infidelitate seu ex defectu fidei*, etiam in hac vita, quatenus removetur fundamentum seu basis spei in ordine psychologico, nempe cognitio seu apprehensio supernaturalis. Unde crederim quod, etiamsi maneat fides acquisita, apud haereticum, tamen fides supernaturalis disparet, quae fundari nequit in fide naturali, licet forte maneat quaedam spes vel fiducia naturalis et acquisita proportionata illi fidei.

Expulsio autem fidei et spei proveniens *ex plena visione et possessione divinae essentiae per beatitudinem supernaturalem* reducitur potius ad causam *formalem*, nam ratio formalis beatitudinis contrariatur directe rationi formali fidei et spei prout necessario importat rationem non visi et non habiti seu possessi seu *prout haec ratio formalis se habet ex parte subiecti*. Non ergo quia detur oppositio ad ipsam veritatem primam secundum se neque ad ipsam divinam omnipotentiam auxiliatricem,

[1] *III Sent.*, dist. 26, q. 2, art. 5, qla. 4 ad 2; II-II, 18, 3 ad 2.

sed quia supponunt obiectum materiale *cum hac conditione essentiali*, quod sit non visum et non possessum[1].

Corruptio autem qua fides *infidelitate* et spes *desperatione* corrumpitur, fit *physice* et in genere causae *formalis* et in genere causae *efficientis*. In genere quidem causae *formalis*, quia directe infidelitas contrariatur secundum speciem suam obiecto formali *quo* fidei; et desperatio obiecto formali *quo* spei. Adest ergo oppositio vere formalis utrobique, et ideo uno solo actu formaliter expelluntur fides infidelitate et spes desperatione, sicut et caritas uno peccato mortali.

In genere etiam *causae efficientis*, non quidem quia ipsam essentiam fidei et spei in se ipsa tangant, quae est essentialiter supernaturalis, sed quia tangit ultimam dispositionem psychologicam intellectus ad fidem et voluntatis ad spem, et contrariam inducunt, eo modo quo de peccato mortali dictum est relate ad caritatem.

Denique, etiam *moraliter demeritorie* causant ista peccata corruptionem fidei et spei, quia qui peccat directe contra aliquam virtutem meretur quod Deus tollat ab eo virtutem illam, removendo auxilium eius quo indigebat homo ad tales virtutes.

Et inde apparet motivum novum videndi quam fundata sit doctrina thomistica de expulsione physica caritatis a peccato mortali et non solum de expulsione morali vel demeritoria, quatenus non minus grave et demeritorium est peccatum contra caritatem quam contra fidem et spem, et tamen peccatum contra caritatem non excludit fidem et spem. Oportet ergo dicere quod causalitas corruptiva peccati non est solum demeritoria, sed etiam physica, cum oporteat reddere rationem differentis corruptivi pro caritate et pro fide et spe, et haec nulla alia est nisi natura propria horum peccatorum per oppositionem ad naturam propriam harum virtutum.

---

1 I-II, 67, 3-5.

Habitus autem Theologiae Sacrae amittitur infidelitate, quia se habet fides ad Theologiam Sacram sicut habitus intellectus ad scientiam.

C. *De corruptione habituum propriorum statui termini*

717. In patria est unus habitus proprius huic statui, nempe *lumen gloriae*, et quodam modo largiori tota beatitudo essentialis et accidentalis quae per modum *permanentis* se habet, et defini solet: «*status* omnium bonorum congregatione perfectus», ut ex tractatu de beatitudine apparet.

Sive autem lumen gloriae sive status beatitudinis sunt omnino incorruptibiles et inamissibiles, quia nulla est possibilis causa corruptionis vel destructionis eorum. Et quidem quantum ad *lumen gloriae* apparet, quia non ex parte causae *efficientis*, quae Deus est et Deus sine poenitentia dat dona sua; non ex parte causae quasi materialis vel *subiecti*, quae est intellectus possibilis secundum totam suam potentiam obedientialem, et hic immortalis et incorruptibilis est; non ex parte causae *quasi formalis seu termini et modi agendi*, quia est omnino simplex et unus, multo magis quam simplex apprehensio terminorum primorum, et actus visionis transcendit totum motum et tempus; neque ex parte *defectibilitatis* voluntatis, quia est ibi semper omnino impeccabilis.

Similiter etiam quantum ad *statum beatitudinis integralis* eadem fere de causa, quia vel subiecta et obiecta propria sunt spiritualia et incorruptibilia; vel —etiamsi corruptibilia et corporalia de se essent— sunt tamen ibi gloriosa et in statu incorruptionis propter dotes gloriosas beatorum. Omnibus ergo modis quaecumque sunt in statu beatitudinis ei propria sunt incorruptibilia et inamissibilia.

§ II

DE DIMINUTIONE HABITUUM SUPERNATURALIUM

718. Consequenter dicendum est de diminutione habituum supernaturalium. Qua in re oportet separatim considerare habitus istos prout sunt in via —sive sint proprii viae sive communes viae et patriae— et prout sunt in termino —sive sint proprii termini sive communes viae et termino—.

A. *De diminutione habituum supernaturalium in statu viae*

719. CONCLUSIO: *In statu viae omnes habitus supernaturales, hoc est, tam gratia sanctificans quam dona Spiritus Sancti et virtutes infusae diminui possunt tum essentialiter vel quantum ad radicem tum etiam accidentaliter et quantum ad effectus secundarios.*

720. *Essentialiter* quidem quantum ad intensitatem quam habent in comparatione ad subiectum seu quoad inhaerentiam subiecto, non vero quantum ad obiectum et terminum, quia minima ex his virtutibus se extendit ad omnia obiecta et eumdem habet finem.

Et *ratio* est, quia absolute loquendo, ea quae augeri possunt, etiam possunt diminui, neque esse habent in puncto aliquo indivisibili. Et de facto *diversae numero virtutes* infusae possunt *successive* esse maiores et minores, ut S. Thomas dicit relate ad caritatem, quando scribit: «Caritas non potest diminui essentialiter, nisi forte per successionem, ita scilicet quod destruatur caritas quae inest per peccatum mortale, et postmodum minor infundatur per minorem praeparationem» [1].

[1] *I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5.

721. Sed quaestio est utrum *eadem numero virtus* seu idem numero habitus supernaturalis diminuatur *essentialiter*.

Et *dicendum est quod non*, quia nulla est causa diminutionis *essentialis* quoad ipsum habitum. Ista enim diminutio, si adesset, aut proveniret ex parte propriae *causae*, quae Deus est et subtraheret intensitatem influxus eius conservantis, et hoc dici nequit, quia Deus non deserit nisi prius deseratur; aut ex parte *nostri*, et tunc vel ex debilitatione proprii *subiecti* horum habituum, vel ex *cessatione* ab opere horum habituum, vel ex positione actus *mali secundum quid*, nempe ex peccato veniali.

Non ex *debilitatione proprii subiecti*, quia subiectum proprium horum habituum est plerumque pars *superior* animae, quae est indiminuibilis; et quando non est pars superior, sed inferior, est tamen prout pendet a superiori et radicatur in anima ut spiritu, et quidem tunc secundum potentiam *obedientialem*, quae indiminuibilis est, sicut est indiminuibilis potentia activa Dei cui correspondet.

Neque ex mera cessatione ab opere, si sit sine peccato, quia istae virtutes non pendent ab operibus nostris neque in fieri neque in esse neque in conservari.

Neque etiam a peccato veniali, quia tale peccatum aut causat talem diminutionem moraliter seu demeritorie aut physice seu efficienter. *Non demeritorie*, quia maior esset poena quam culpa; *neque efficienter*, quia peccata venialia non attingunt essentiam horum habituum, cum non ascendant usque ad radices spiritus et potentiam obedientialem. Sunt ergo veluti in alia linea.

722. *Attamen accidentaliter* diminui possunt tum quoad *numerum* actuum seu quasi *extensive*, tum etiam quasi *intensive* vel quoad *fervorem* agendi et quoad *virtualitatem influxus* in totam vitam humanam. Sive ergo per venialia peccata sive per cessationem ab opere possunt advenire impedimenta *extrinseca* quae retardant usum expeditum horum habituum.

Et sic etiam per peccatum mortale diminuitur *fides et spes eadem numero*, quia amittunt formationem suam a caritate; at haec diminutio non est essentialis, sed accidentalis, eo quod formatio haec est accidentalis habitui fidei et spei, licet sit essentialis eis ut sunt virtutes meritoriae[1]. Unde theologi communiter respuunt positionem Guillielmi Autissiodorensis et Dionysii Carthusiani contrarium sentientium.

B. *De diminutione habituum supernaturalium in statu termini*

723. Habitus supernaturales qui manent in termino, prout sunt in termino et ex quo in termino sunt, nequeunt ullo modo diminui, quia omnes causae possibiles diminutionis, etiam accidentalis, ibi non sunt; non enim possunt ibi dari peccata venialia neque cessatio ab opere virtutum, neque etiam contraria impedimenta surgere. Nullo ergo modo possunt ibi diminui habitus isti. Augeri tamen possunt aliquo modo accidentaliter, non vero essentialiter. Nam beatitudo essentialis ab initio eadem est in summo gradu; accidentalis vero corporis advenit in resurrectione et similiter virtutes morales fortitudinis et temperantiae quatenus *extenduntur* ad propria earum subiecta.

Hoc autem augmentum *non est intensivum*, ut S. Thomas concedebat in IV Sententiarum, dist. 49, q. 1, art. 4, qla. 1, ad 4, *sed unice extensivum* ad subiectum secundarium et ad obiecta secundaria, eo modo quo habitus scientiae se extendit ad facultates sensitivas et ad plura vel pauciora obiecta, ut postea dicit in II-II, q. 4, art. 5, ad 4. At diminutio nullo modo dari potest, sed semper eodem fervore et totalitate virtutis feruntur huiusmodi habitus in propria obiecta et fines.

[1] II-II, 4, 3-4.

Ex his apparet quod dona ista supernaturalia sunt absolute firmiora quam naturalia et quod sunt magis intangibilia secundum se quam primi habitus naturales, prout sunt habitus intellectus et synderesis; nam isti aliquo modo possunt diminui et impediri propter aegritudinem vel aliam causam, sed habitus infusi nullum habent impedimentum inculpabile, sed intacti manent nisi ab homine culpabiliter destruantur. Quoad *corruptionem* ergo facilius destruuntur quia uno solo actu eis contrario; quoad *diminutionem* vero difficilius.

Neque ex meliori vel peiori natura perficiuntur aut diminuuntur quantum ad id quod formale et supernaturale est, sed solum quantum ad materiale et naturale psychologicum.

QUAESTIO LIV

DE DISTINCTIONE HABITUUM

724. Ultimo ergo S. Thomas considerat in hoc tractatu *distinctionem* habituum. Et melius quidem de distinctione quam de divisione, tum quia divisio est per se primo quantitatis dum distinctio est qualitatis vel formae, tum etiam quia divisio ad separabilitatem accedere videtur, dum distinctio potest esse inter res penitus inseparabiles et unitas, ut solent esse habitus in eodem subiecto vel in eadem potentia.

In hac tamen quaestione S. Thomas —prout ex facto apparet— non intendit tradere divisionem vel distinctionem *explicitam* habituum, sed solum assignare principia distinctionis vel divisionis *essentialis* eorum prout in toto decursu theologiae moralis fiet. Non enim agit de principio distinctionis numericae seu individualis, sed solum de principio distinctionis essentialis genericae vel specificae, quia de singularibus non est scientia.

Quantum vero ad ordinem articulorum non ita in promptu est iustificatio, uti apparet ex diversis tentaminibus propositis a quibusdam thomistis.

725. Conradus Koellim hanc proponit iustificationem: «In praesenti quaestione duo facit principaliter: primo ostendit quomodo et per quae distinguuntur (art.

1-3); secundo, determinat quoddam incidens, in articulo 4.

Quia autem habitus potest *tripliciter* considerari, scilicet per comparationem ad *subiectum* in quo est, et secundo ad *obiectum* circa quod est, et tertio per comparationem ad *finem* ad quem disponit, ideo sunt tres articuli: primus ostendit quomodo disinguatur ex parte subiecti; secundus, quomodo ex parte obiecti; tertius, quomodo ex parte finis» [1].

Et «ultimo quaerit de quodam dubio quod potest oriri ex dictis, quia enim habitus sunt distincti, ideo quaerit an sint ita distincti, quod unus non constituatur ex alio» [2].

Secundum hoc, distinctio horum articulorum posset proponi schemate sequenti:

DE DISTINCTIONE HABITUUM:

I) *directe vel secundum se*: de ipsa distinctione:
   a) ex parte subiecti vel potentiae in qua sunt (art. 1).
   b) ex parte obiecti circa quod sunt (art. 2).
   c) ex parte termini vel finis ad quem sunt (art. 3).

II) *indirecte et quasi reductive*: de eius opposito, quod est *compositio* vel composibilitas (art. 4).

Et in idem fere redit id quod tradunt Pègues et Lépicier. Ita enim scribit Pègues: «De ces quatre articles, les trois premiers étudient les conditions de la distinction des habitus entre eux; le quatrième se demande si nous devons admetre quelque distinction dans un seul et même habitus.

Pour ce qui est des habitus entre eux, les deux premiers articles examinent les conditions de leur distinction spécifique ou de leur être propre; le troisième, leurs diverses qualités selon quels sont tels ou tels habitus.

---

[1] CONRADUS KOELLIN, *In I-II*, 54, prol., edit. cit., p. 361 b.
[2] *Ibidem*, ad art. 4, p. 367 b.

La raison propre de leur distinction spécifique sera étudiée à l'article seconde; mais, auparavant, se posait une question préalable, et qui est de savoir, si, en effet, il peut y avoir, dans un même sujet, plurieurs habitus spécifiquement distincts: c'est l'objet de l'article première» [1].

726. Revera, posset dici quod, quia contrariorum eadem est cognitio et scientia, ideo eadem est consideratio divisionis seu distinctionis et compositionis habituum, quae contrarie opponuntur. In tribus ergo primis articulis est sermo de divisione vel distinctione habituum, in quarto vero de eorum compositione vel simplicitate, ex indistinctione in seipso.

Quantum vero ad ordinem trium priorum articulorum, posset dici quod ita ordinantur ut primo consideretur eorum distinctio *psychologica* seu in esse *naturae*, tum ex parte subiecti (art. 1) tum ex parte obiecti (art. 2); dein vero eorum distinctio *moralis* seu *in esse moris*, secundum rationem boni et mali (art. 3).

Posset quoque dici quod in hac quaestione agitur de multitudine vel multiplicabilitate habituum et de eorum unitate, nam distinctio est principium multiplicationis, simplicitas vero vel incomposibilitas est principium unitatis. In tribus ergo primis articulis agit S. Doctor de radice multiplicationis habituum, in quarto vero de radice unitatis eorum.

728. Haec tamen tentamina, licet aliquo modo vera sint, non tamen videntur omnino respondere menti S. Thomae.

Nam S. Doctor in tribus primis articulis exponit doctrinam suam de distinctione habituum; in quarto autem

---

[1] TH. PEGUES, *Commentaire français littéral de la Somme Théologique de S. Thomas*, t. 7, Les passions et les habitus, 1926, h. 1.

solvit difficultatem aliorum qui, ponentes augmentum habituum per additionem, admittere debebant compositionem internam habituum.

Distinctionem autem considerat ex propriis principiis essentialibus habituum, nempe per comparationem ad *naturam* eius quod habitu disponitur (art. 1-2) et per comparationem ad *finem naturae* (art. 3).

Ante omnia autem ponit factum distinctionis habituum per hoc quod plures habitus dantur aut dari possunt in eodem subiecto. Et constat quod maxime agitur de distinctione habituum operativorum.

En ergo ordo articulorum schematice contractus:

DE DISTINCTIONE HABITUUM:

I) *Secundum se*:

a) *exsistentia vel factum* distinctionis, ex facto pluralitatis habituum in eodem subiecto vel potentia subiecti (art. 1).

b) *radix vel principium* distinctionis essentialis eius:

1) ex obiecto vel termino (art. 2).

2) ex ordine ad naturam subiecti (art. 3).

II) *Impugnatur* doctrina aliorum de compositione interna habituum (art. 4).

Apparet autem ex hoc quod radix vel principium distinctionis non debet subdistingui per hoc quod sit ordinis phychologici vel ordinis moralis, sed prout involvit sub se utrumque et prout respondet ipsi naturae habitus, qui essentialiter dicit ordinem ad naturam subiecti in quo est et ad terminum naturae, ut ex dictis patet.

Et haec ultima iustificatio videtur esse quae plene respondet menti S. Thomae ut diligenter consideranti apparet.

Postquam ergo textum S. Thomae exponamus, secundum doctrinam et principia eius, dabimus divisionem generalem habituum.

CAPUT I

EXPOSITIO QUAESTIONIS SANCTI THOMAE

Art. 1.-Utrum multi habitus possint esse in una potentia

729. Quaestio moveri potest duplici sensu: primo, de habitibus ordinis naturalis; secundo, de habitibus supernaturalibus.

Et quidem utroque modo potest fieri sermo tum de habitibus entitativis tum de habitibus operativis, et quidem utrobique agitur de simultate plurium habituum in uno subiecto vel potentia; plures autem sunt saltem duo.

§ I

DE HABITIBUS ORDINIS NATURALIS

730. Ut patet ex supra dictis [1], habitus entitativi naturales sunt in corpore sicut in subiecto; operativi vero sunt in potentiis animae. Quaestio ergo est duplex: prima, utrum possint esse plures habitus entitativi simul

[1] S. Thomas, I-II, 50, 1.

in uno eodemque corpore; secunda, utrum plures habitus operativi possint esse simul in una eademque potentia animae. Agitur autem de pluribus habitibus specie, non autem de pluribus habitibus numero intra eamdem speciem, quia isti non multiplicantur nisi ad multiplicationem subiecti proprii, a quo individuantur.

731. CONCLUSIO PRIMA: *Plures habitus entitativi specie differentes possunt esse simul in uno eodemque corpore organico humano.*

732. *Probatur.* Ubi sunt plures partes diversimode disponibiles, et commensurabiles specie, ibi possunt dari simul plures dispositiones vel habitus entitativi specie differentes. Atqui in corpore humano dantur plures partes diversimode disponibiles et commensurabiles specie. Ergo in corpore humano dari possunt simul plures dispositiones vel habitus entitativi specie differentes.

Maior constat, quia disponibilitas et dispositio vel habitus sunt correlativae sicut potentia et actus; correlativa autem sibi mutuo respondent et in esse et in unitate et in multiplicitate, quia quot modis dicitur unum correlativum tot modis dicitur aliud.

Minor vero experientia constat; nam aliae partes corporis humani sunt *homogeneae* vel *similes*, ut carnes, ossa, nervi, musculi, et istae partes sunt disponibiles in ordine ad naturam corporis humani per *fortitudinem aut maciem* seu agilitatem; aliae vero sunt partes *dissimiles* vel *heterogeneae*, sive sint *liquidae* vel internae, ut humores vel secretiones internae, et istae sunt disponibiles secundum naturam per *sanitatem*; sive sint *solidae* et externae seu periphericae, ut membra, nempe manus, pedes, caput, crura, brachia, et earum dispositio secundum naturam est *pulchritudo*. Quia ergo tria ista genera partium sunt diversimode disponibilia, ideo in uno eodemque corpore possunt plures habitus entitativi simul dari. Et sic videmus quod quandoque unus idemque homo est simul sanus et robustus et pulcher.

733. CONCLUSIO SECUNDA: *In una eademque potentia operativa possunt simul dari plures specie habitus operativi.*

734. *Probatur.* a) *a posteriori*, ex facto. Dantur de facto plures habitus intellectuales specie differentes, nempe saltem quinque virtutes intellectuales, quae sunt reapse in una eademque potentia operativa, nempe in intellectu possibili, qui una potentia est, ut patet ex dictis supra, quaestione 51, articulo 4: potest enim unus idemque homo simul esse metaphysicus et psychologus, et musicus vel poeta et prudens.

735. b) probatur *a priori*, reddendo rationem huius facti, tum argumento proprio tum argumento analogico.

Argumento proprio: Tot possunt esse habitus specie differentes unius potentiae passivae quot possunt esse actus specie differentes illius potentiae. Atqui unius potentiae passivae possunt esse plures actus specie differentes. Ergo et unius potentiae passivae possunt esse plures habitus specie differentes.

Maior patet, quia habitus operativus est propter operationem, et ideo quot sunt specie actus tot debent esse specie habitus operativi.

Minor vero facile suadetur. Tot possunt esse actus specie differentes unius potentiae passivae quot possunt esse rationes specie differentes quibus obiectum movere potest illam potentiam. Atqui plures sunt rationes differentes quibus obiectum movere potest unam potentiam passivam, ut patet in obiecto intellectus et voluntatis. Ergo et unius potentiae passivae possunt esse plures actus specie differentes.

Quae ratio, vel potius modus exponendi eamdem rationem, nititur ultimis verbis corporis articuli, nempe: «ad unam potentiam possunt plures habitus pertinere, *sicut et* plures actus specie differentes».

736. *Argumento analogico*: Ita se habet potentia operativa ad habitum operativum sicut genus ad spe-

ciem. Atqui sub uno eodemque genere possunt simul esse plures species. Ergo et in una eademque potentia operativa possunt simul esse plures habitus operativi.

Maior constat, quia subiectum habitus operativi est potentia passiva, quae se habet ad ipsum ut perfectibile ad perfectivum, ut determinabile ad determinativum, ut potentia ad actum primum, ut patet ex dictis supra, quaestione 49, articulis 3 et 4. Atqui comparatio perfectibilis ad perfectivum et determinabilis ad determinativum et potentiae ad actum primum, est sicut genus ad differentiam specificam. Ergo potentia operativa se habet ad habitum operativum sicut genus ad speciem.

Minor vero patet ex ipsamet ratione generis et speciei, quae sunt diversimode universalia subordinata. Haec ratio clarius apparebit in responsione ad primam difficultatem.

737. *Ratio S. Thomae* consistit *in analogia* inter ordinem physicum materiae primae et formae substantialis et agentis naturalis, et ordinem psychologicum potentiae passivae et habitus et obiecti: Ita se habet potentia passiva ad actum et habitum et obiectum sicut se habet materia prima ad formam substantialem et agentem naturalem. Atqui materia prima est capax omnium formarum substantialium, quae tamen determinatur ad unam formam specie per unum agens specie. Ergo et potentia passiva est capax omnium actuum et habituum, quae tamen capacitas determinatur ad unum actum et habitum specie per unum obiectum specie seu per unam rationem obiecti.

Analogia ergo tenet rigurose *quantum ad potentiam*, ut patet ex comparatione materiae primae cum intellectu possibili; nam sicut materia prima est susceptiva omnium formarum, ita intellectus possibilis est susceptivus seu in potentia omnium specierum intelligibilium. Idem autem est esse in potentia reali susceptiva alicuius et quod illud aliquid possit esse in illa potentia.

Sed quantum ad *simultatem* plurium actuum est differentia, quia materia prima non potest simul habere nisi unam formam, et intellectus possibilis potest simul habere multos habitus, licet nequeat habere nisi unum actum. Notandum est tamen quod absolute loquendo, non est necesse ponere plures habitus simul in una potentia ut differentia utriusque appareat; sat est enim ponere plures successive, quatenus potentia eadem manet, habitus autem successive mutantur et multiplicantur; et hoc modo constat etiam distinctio substantiae et accidentis.

Nec mirum est quod S. Doctor hac analogia ostendat istam conclusionem, quia, post Aristotelem, consuevit ea quae sunt ordinis psychologici explicare per analogiam ad ea que sunt ordinis physici corporalis, quae clariora et evidentiora sunt nobis.

§ II

DE HABITIBUS ORDINIS SUPERNATURALIS

738. Etiam habitus supernaturales sunt duplicis generis, nempe entitativi, qui subiectantur in essentia animae; et operativi, qui subiectantur in potentiis animae. Duo ergo quaeruntur: primo, utrum possint esse simul plures habitus entitativi supernaturales specie distincti in eadem anima; secundo, utrum possint esse plures habitus operativi specie distincti et supernaturales in eadem animae potentia.

739. CONCLUSIO PRIMA: *Si loquamur de habitu bono et malo et sucessive, possunt esse plures habitus in essentia animae; non autem simul; si vero loquamur de habitu bono tantum non potest multiplicari specie in essentia animae.*

740. *Probatur prima pars.* Constat enim in Adamo fuisse successive gratiam habitualem et peccatum originale, et similiter in nobis omnibus fuit peccatum originale ante baptismum et gratia post baptismum.

741. *Probatur secunda pars*: Quia gratia sanctificans et peccatum originale utpote contraria non possunt simul coexsistere in eadem anima.

742. *Probatur tertia pars*. Quia habitus entitativus supernaturalis, nempe gratia sanctificans, est essentialiter una specie; et in primo homine iustitia originalis, quantum ad id quod formale est, videtur identificanda cum ipsamet gratia habituali.

Qui tamen adaequate distinguunt iustitiam originalem et gratiam habitualem, admittere debent possibilitatem duorum habituum supernaturalium simul in eadem anima, ut in Adamo innocenti; qui vero solum admittunt differentiam inadaequatam sicut inter totum et partem formalem sui, proprie loquendo nequeunt ponere nisi unum habitum entitativum supernaturalem, et hoc videtur magis ad mentem S. Thomae.

743. CONCLUSIO SECUNDA: *In una eademque potentia animae possunt dari simul plures habitus operativi supernaturales.*

744. *Probatur*. Constat, quia in uno intellectu possibili secundum potentiam suam obedientialem datur quandoque fides et donum sapientiae et intellectus et scientiae et consilii et prudentiae infusae, praeter habitus naturales synderesEOS, prudentiae acquisitae, sacrae theologiae aliarumque scientiarum et artium; quod si in patria ponatur homo, tunc loco fidei ponendum est lumen gloriae cum ceteris habitibus intellectualibus permanentibus.

Similiter in una potentia voluntatis datur caritas, et iustitia infusa et donum pietatis, et in via insuper spes theologica, praeter iustitiam acquisitam.

Differentia autem inter habitum operativum naturalem et potentiam ex una parte, et inter habitum supernaturalem et potentiam ex altera parte, non est aequalis utrobique, nam in ordine naturali potentia illa naturalis est, et licet per prius sit passiva prout est subiectum habitus operativi, ex consequenti est activa; unde fit quod potentia illa det *simpliciter* posse, habitus vero posse *secundum quid*, nempe prompte, constanter, delectabiliter, bene vel male; in ordine vero supernaturali potentia est mere obedientialis et ideo mere passive se habens ad habitus supernaturales, et inde est quod potentia in hoc ordine *nullo modo* dat posse active, sed posse passive seu receptive; habitus vero dat *totum* posse active, et hac de causa dicuntur esse veluti potentiae. Aliis verbis: in ordine naturali potentia dat *simpliciter* posse; habitus vero est ad *melius* et *facilius* posse; at in ordine supernaturali, naturalis potentia nullum habet posse activum, et ideo habitus dat utrumque et posse simpliciter et melius et facilius posse. Unde Bañez merito scribit: «Habitus supernaturales habent *vicem potentiae*; in hoc enim distinguuntur a naturalibus, quod habitus naturales ponuntur ut melius et facilius producatur actus, non ut simpliciter producatur; habitus vero supernaturales ponuntur, quoniam potentia naturalis secundum suam naturam non habet virtutem ad producendum illum»[1]. Contrarium docebant pelagiani, aut saltem semipelagiani; at theologi catholici docent communiter habitus supernaturales gerere vices potentiae supernaturalis. Quo tamen non obstante, theologi molinistae putant actum supernaturalem procedere a potentia et habitu supernaturali quasi ex aequo et sicut a duabus causis partialibus. Unde et coacti sunt ponere potentiam obedientialem activam.

Aliunde, quia *potentia obedientialis* est multo amplior quam potentia mere naturalis, multo plures habitus esse possunt in potentia secundum vim obedientialem quam secundum vim naturalem. Si ergo in ordine naturali multi habitus poterant esse in eadem potentia, a fortiori idipsum dicendum est in ordine supernaturali.

---

1 D. Bañez, *In I*, q. 88, art. 3 ad 3, edit. cit., col. 1567.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

745. *Obiectio prima*: Quae secundum idem distinguuntur, secundum idem multiplicantur, quia distinctio est radix multiplicationis. Atqui potentiae et habitus secundum idem distinguuntur, nempe secundum actus et obiecta. Ergo potentiae et habitus secundum idem multiplicantur, et ideo manente potentia una, non possunt esse plures habitus.

746. *Respondetur. Distinguo mai.*: Quae secundum idem et eodem modo seu eadem ratione distinguuntur, secundum idem et eodem modo seu eadem ratione multiplicantur, *concedo*; quae secundum idem, at non eodem modo eademque ratione distinguuntur, secundum idem et eodem modo multiplicantur, *nego*.

Contradistinguo min.: Potentiae et habitus distinguuntur secundum idem et eodem modo seu eadem ratione, *nego*; secundum idem, at non secundum eamdem rationem et modum, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Revera, distinctivum formale potentiae et habitus idem est ac eorum formale constitutivum, quia per idem unumquodque constituitur in se et a ceteris distinguitur. Hoc autem debet esse obiectum formale seu ratio formalis et per se obiecti utriusque. Constat autem quod potentia et habitus sunt distinctae species qualitatis, quia habitus est in prima specie qualitatis, dum naturalis potentia est in secunda. Ergo constitutivum formale et eorum formale distinctivum debet esse differens; et vere ita est, quia licet obiectum materiale utriusque quandoque sit idem, obiectum formale seu ratio formalis secundum quam obiectum attingitur a potentia et habitu est distincta.

Ordinarie loquendo naturalis potentia et habitus operativus solent differre etiam ex parte obiecti *materialis*, quia maiorem amplitudinem seu ad plura obiecta extendi solet potentia quam habitus, sicut intellectus possibilis ad plura obiecta extenditur quam habitus scientiae Physicae vel prudentiae, et voluntas ad plura obiecta extenditur quam iustitia.

Et inde est quod *ratio formalis* secundum quam obiectum attingitur a potentia est *universalior et amplior* quam ratio formalis secundum quam attingitur ab habitu, quia a potentia nuda attingitur prout aliquo modo ab eo immutari potest, *bene vel male*; ab habitu vero prout attingi potest bene determinate aut determinate male et uniformiter et delectabiliter. Unde apparet quod ratio formalis secundum quam obiecta attinguntur a nuda potentia se habet ad rationem formalem secundum quam attinguntur ab habitu ut *genus* ad speciem, et propter hoc dicit optime S. Thomas quod «diversitas obiectorum secundum *genus*, facit distinctionem *potentiarum*...; diversitas vero obiectorum secundum *speciem* facit diversitatem actuum secundum *speciem*, et per consequens habituum» [1].

Et sic diversa ratio immutandi potentiam *realiter vel intentionaliter*, distinguit potentiam cognoscitivam ab appetitiva; sicut et diversa ratio immutandi *intentionaliter*, nempe *universaliter vel singulariter*, distinguit potentias cognoscitivas in intellectivam et sensitivam. At pro habitu non est ita, quia intra immutationem universalem intentionalem intellectus possibilis, habentur diversi gradus abstractionis *formalis* secundum quos obiecta illa universalia *facilius et promptius et delectabilius et melius attingi possunt* [2].

Optime ergo S. Thomas ait: «Habitus autem a potentia in hoc differt quod per potentiam sumus *potentes* aliquid *facere*, per habitum autem *non* reddimur *potentes* ad aliquid faciendum, sed *habiles vel inhabiles* ad

[1] S. Thomas, I-II, 54, 1, ad 1.
[2] Cf. Conradum Koellin et B. Medina, *In I-II*, 54, 1.

id quod possumus, *bene vel male* agendum; per habitum igitur non datur neque tollitur nobis aliquid *posse*, sed hoc per habitum acquirimus ut *bene vel male* aliquid agamus» [1].

«Cum plures habitus quandoque sint in una potentia, aliqua diversitas sufficit ad distinguendum habitus, quae non sufficit ad distinguendum potentias, quia potentia *alio modo* comparatur ad actum quam habitus; unde et *secundum alteram rationem* obiectum utrique respondet. Potentia enim est principium agendi *absolute*, sed habitus est principium agendi *prompte et faciliter*; et ideo obiectum secundum illam rationem qua se habet ad actum *simpliciter* respondet potentiae; sed secundum quod se habet ad *facilitatem* actus respondet habitui. Et ideo diversitas materiae vel obiecti in ordine ad ea quae faciunt *facilitatem* in actu facit diversitatem habitus et non potentiae. *Et inde* est quod, in speculativis, diversitas materiae secundum quam est determinabilis per diversa media et principia ex quibus est *facilitas* considerationis, facit diversas scientias, sicut Naturalis (Physica) quae est ex effectibus et his quae apparent in sensu demonstrat, a Mathematica differt, quae circa suam materiam ex eisdem principiis et mediis procedere non potest» [2].

Et clarius alibi: «*Universaliter* —inquit— consideranti haec apparet differentia inter habitum et potentiam, quia potentia est qua possumus aliquid *simpliciter*; habitus autem quo possumus illud *bene vel male*: sicut intellectus, quo consideramus, scientia, qua *bene* consideramus; concupiscibilis, qua concupiscimus, temperantia qua *bene* concupiscimus, intemperantia qua *male*» [3].

Et ratio est quia «*non secundum eamdem rationem* est aliquid obiectum potentiae et habitus; nam potentia

---

[1] S. Thomas, *IV Contra gent.*, cap. 77.
[2] *III Sent.*, dist. 33, q. 1, art. 1, qla. 1.
[3] *IV Sent.*, dist. 4, q. 1, art. 1.

est secundum quam *simpliciter* possumus aliquid, puta, irasci vel confidere; habitus autem secundum quem aliquid possumus *bene vel male*, ut dicitur in II Ethic.; et ideo, ubi est alia ratio boni, est alia ratio obiecti quantum ad habitum; sed non quantum ad potentiam; propter quod contingit in una potentia multos habitus esse» [1].

747. *Obiectio secunda.* In uno subiecto simplici non possunt esse plura accidentia simul. Atqui potentia animae est subiectum simplex, cuius habitus operativi sunt veluti accidentia. Ergo in una potentia animae nequeunt simul esse plures habitus operativi.

748. *Respondetur. Distinguo mai.*: In uno subiecto simplici *omnibus modis* seu secundum essentiam et virtutem nequeunt esse plura accidentia simul, *concedo*; in uno subiecto simplici secundum essentiam, sed multiplici secundum virtutem nequeunt esse plura accidentia simul, *nego*.

Contradistinguo min.: Potentia animae est subiectum simplex omnibus modis, scilicet secundum essentiam et secundum virtutem, *nego*; simplex secundum essentiam et multiplex secundum virtutem, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Solutio patet ex omnibus hucusque dictis. Nam in primis subiectum habitus et dispositionis debet esse aliquo modo compositum ideoque multiplex, ut constat ex dictis supra [2]; est enim dispositio ordo partium in habente partes aliquo modo. Et hac ratione subiectum *entitative* simplex, ut essentia animae, nequit esse subiectum habitus entitativi; potentia autem, licet sit entitative simplex, est tamen *dynamice* multiplex seu composita saltem ex potentia et actu, et sic potest esse subiectum habitus operativi. Similiter essentia animae in

---

[1] *De Virtutibus in communi*, q. 1, a. 12 ad 4. Cf. II-II, 47, 5; I-II, 56, 2.
[2] I-II, 49, 1 ad 3. Cf. Caietanum, *In I-II*, 49, 1 ad 3.

ordine supernaturali est in potentia, et ideo compositionem quamdam relativam habet.

Deinde, potentia, ob amplitudinem magnam sui obiecti, multitudinem habet virtualem ad plura obiecta materialia et ad plures rationes et ad plures actus, et secundum hoc potest diversimode disponi et habilitari[1].

749. *Obiectio tertia.* Ita se habet potentia ad habitum sicut se habet corpus ad figuram. Atqui unum corpus non potest simul habere plures figuras. Ergo neque una potentia potest simul habere plures habitus operativos.

750. *Respondetur. Nego mai.*; *concedo min.*, et nego *consequens et consequentiam.*

Ratio est, quia figura est *ultimus* terminus quantitatis corporeae; habitus autem non est ultimus terminus potentiae, sed terminus *intermedius* utpote actus *primus*; terminus autem ultimus est actus secundus seu operatio. Et inde est quod unius potentiae nequeunt esse simul plures actus secundi totales et adaequati, sicut neque unius causae efficientis plures effectus totales et adaequati simul; possunt esse tamen plures actus partiales et inadaequati; at nihil impedit quominus eadem potentia possit simul informari pluribus habitibus, quia termini intermedii sunt multiplicabiles manente unitate termini a quo et termini ultimi ad quem.

Art. 2.-Utrum habitus distinguantur secundum obiecta

§ I

PRAENOTAMINA

751. Postquam ergo ostensum est plures habitus posse in una potentia simul residere, necesse est videre *principia secundum quae isti habitus inter se distingui possunt essentialiter vel specifice.*

Quia vero, ut supra dictum est, S. Thomas principaliter loquitur de habitibus *operativis*, unde quaestionem ponit explicite de ipsis: utrum specifice distinguantur secundum obiecta. Attamen, quia dantur etiam habitus *entitativi*, necesse est de ipsis quaerere per quid specifice distinguantur.

Ut autem clare pateat solutio quaestionis, oportet prae oculis habere duplicem distinctionem: a) ex parte *habitus* distinguendi, in entitativum et operativum; b) utroque modo, ex parte *considerationis* habitus distinguendi, nempe rationem quasi *genericam vel communem* habitus, prout est *forma* quaedam —est enim qualitas—, et rationem *propriam et specificam*, prout est proprie loquendo *prima species qualitatis.*

1 I-II, 49, 4.

§ II

SOLUTIO QUAESTIONIS

752. CONCLUSIO PRIMA: *Habitus, sive entitativi sive operativi, distinguuntur specie, in quantum sunt formae quaedam, secundum propria principia activa.*

753. *Probatur.* Ita distinguuntur specifice habitus in quantum sunt formae quaedam *psychologicae* ordinis naturalis, sicut specifice distinguuntur formae naturales *physicae.* Atqui formae naturales physicae distinguuntur specie secundum propria principia activa earum. Ergo et habitus in quantum sunt formae quaedam phycholigcae ordinis naturalis, distinguuntur specie secundum propria eorum principia.

Maior contat, *tum* primo quia quae in uno communi conveniunt quantum ad esse, in illo etiam conveniunt quantum ad distinctionem; constat autem quod, in ratione *formae naturalis*, conveniunt habitus, qui sunt formae psychologicae, et formae physicae, sive substantia-

les sive etiam accidentales; *tum*, secundo, quia ordo physicus et ordo psychologicus analogice seu proportionaliter conveniunt, et ideo ex eisdem principiis proportionaliter distinguuntur secundum speciem.

Minor est manifesta, quia ab eodem unumquodque constituitur in suo esse et a ceteris essentialiter distinguitur. Atqui formae physicae tum substantiales tum accidentales constituuntur in proprio esse a propia earum causa univoca. Ergo et a propria earum causa univoca distinguuntur specie a ceteris formis. Omne enim agens facit sibi simile secundum speciem, et ideo species effectus pendet a specie propriae causae seu proprii principii activi.

Et secundum hoc etiam habitus distinguuntur specie secundum eorum propria principia activa; nam habitus *entitativi*, qui sunt dispositiones corporis ad animam, specie distinguuntur secundum diversos generantes specie, et ita alia est dispositio corporis humani facta ab humano generante, et alia dispositio corporis equini facta ab equo generante.

Pariter habitus *operativi* specie distinguuntur secundum diversos specie actus ex quibus generantur, sicut videmus in habitibus scientiae quod secundum diversa media seu diversas specie demonstrationes, quae procedunt ex diverso gradu abstractionis seu diverso modo definiendi, causantur diversi habitus scientiae. Optime ergo S. Thomas ait: «*Tota* autem virtus demonstrationis, quae est syllogismus *faciens* scire, ut dicitur in I Post., dependet *ex medio*, et ideo diversa media, sunt sicut diversa principia *activa*, secundum quae habitus scientiarum diversificantur» [1].

754. CONCLUSIO SECUNDA: *Habitus entitativi, ut habitus sunt, specie distinguuntur secundum specificam distinctionem naturae ad quam per se primo dicuntur.*

---

[1] S. THOMAS, I-II, 54, 2 ad 2.

755. *Probatur.* «Omnia quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur» [1]. Atqui habitus entitativi, ut habitus sunt, dicuntur secundum ordinem ad naturam subiecti in quo sunt. Ergo habitus entitativi, ut habitus, specie distinguuntur secundum distinctionem specificam naturae subiecti in quo sunt.

Maior patet, quia unumquodque specifice distinguitur secundum id quod ipsum specifice constituit; quod autem per se primo seu essentialiter dicit ordinem ad aliquid, per hunc ordinem essentialiter constituitur et a ceteris distinguitur; nam omne relativum distinguitur secundum terminum suum.

Minor constat ex dictis supra [2], ubi ostensum est quod habitus ut habitus dicit ordinem ad naturam subiecti in quo est, et habitus entitativus dicit de se per se primo ordinem ad naturam ut natura est, et ex consequenti ad operationem naturae.

756. CONCLUSIO TERTIA: *Habitus operativi, ut tales, distinguuntur secundum distinctionem specificam obiectorum formalium ad quae dicuntur.*

757. *Probatur.* Ea quae essentialiter constituuntur per ordinem ad obiecta formalia, specifice distinguuntur per distinctionem obiectorum formalium. Atqui habitus operativi, ut tales, essentialiter constituuntur per ordinem ad obiecta formalia quae per se primo attingunt. Ergo habitus operarivi, ut tales, specifice distinguuntur per distinctionem illorum obiectorum formalium.

Maior constat, quia distinctio formalis seu specifica constituta sumitur ex distinctione formali et specifica constitutivi.

Minor vero patet, quia habitus operativus ut sic dicit ordinem per se primo ad operationem circa aliquod

---

[1] I-II, 54, 2.
[2] I-II, 49, 2-3; 50, 1.

obiectum; ergo ratio formalis secundum quam obiectum illud est attingibile ab habitu operativo, est principium in ordine ad quod essentialiter constituitur. Relativa enim essentialiter definiuntur per suum correlativum; obiectum autem formale seu ratio formalis obiecti est correlativum habitus operativi, qui ad illud dicit relationem transcendentalem.

758. *Confirmatur*: Quod distinguit distinguens distinguit distinctum, quia propter quod unumquodque tale et illud magis, et causa causae est causa causati. Atqui obiectum formale distinguit actus distinguentes habitum operativum. Ergo obiectum formale a fortiori distinguit ipsum distinctum, nempe habitum operativum [1].

759. Sic ergo dicendum est quod habitus, secundum rationem communem *formae*, specie distinguuntur secundum propria principia activa seu efficientia ut talia, quae pertinent ad quartum modum dicendi per se; secundum autem propriam rationem habitus *ut habitus*, distinguuntur specie secundum ordinem ad naturam subiecti ad quam per se primo dicuntur, et in hoc modo distinguendi conveniunt habitus entitativi et operativi; sed insuper habitus operativi *ut operativi* dicunt ordinem per se primo ad operationem et ad terminum operationis, quod est obiectum formale, et ideo specialiter distinguuntur secundum obiecta formalia secundum quae proprie non distinguuntur habitus entitativi, et propter hoc potest eis appropriari modus distinguendi ex ordine ad naturam.

Et ita specie distinguuntur habitus operativi secundum distinctionem specificam potentiarum quarum naturam per se primo dicunt ordinem ut habitus, sicut alius speciei est habitus intellectualis et alius speciei est habitus moralis.

---

[1] I-II, 54, 2 sed contra.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

760. *Obiecto prima*. Quod est simul obiectorum specie differentium non distinguitur secundum obiecta specie differentia. Atqui habitus est simul obiectorum specie differentia. Atqui habitus est simul obiectorum specie differentium, quia est simul contrariorum, quae specie differunt. Ergo habitus non distinguitur secundum obiecta specie differentia.

761. *Respondetur*. *Distinguo mai.*: Quod est simul obiectorum specie differentium et in esse rei et in esse obiecti non distinguitur secundum obiecta specie differentia, *concedo*; quod est simul obiectorum specie differentium in esse rei, non vero in esse obiecti, non distinguitur specie secundum obiecta, *subdistinguo*: non distinguitur specie secundum obiecta specie differentia in esse rei vel materialiter considerata, *concedo*; non distinguitur specie secundum obiecta specie differentia in esse obiecti seu formaliter considerata, *nego*.

Contradistinguo min.: Habitus est simul obiectorum specie differentium in esse rei, *concedo*; in esse obiecti formalis, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Ratio est, quia habitus per se primo dicit ordinem ad obiectum non mere materialiter et in esse rei consideratum, sed formaliter et in esse obiecti [1].

762. *Obiectio secunda*. Quae multiplicantur specie non multiplicatis obiectis non distinguuntur specie secundum obiecta. Atqui habitus specie multiplicantur non multiplicatis obiectis. Ergo habitus non distinguuntur specie secundum obiecta.

763. *Respondetur*. *Distinguo mai.*: Quae specie multiplicantur non multiplicatis obiectis nec formalibus nec

---

[1] Cf. *III Sent.*, dist. 33, q. 1, a. 1, qla. 1.

materialibus, non distinguuntur specie secundum obiecta, *concedo*; quae specie multiplicantur non multiplicatis obiectis materialibus, bene vero multplicatis obiectis seu rationibus formalibus obiecti, non distinguuntur specie secundum obiecta, *subdistinguo*: non distinguuntur specie secundum obiecta materialia, *concedo*; non distinguuntur specie secundum obiecta formalia, *nego*.

Constradistinguo min.: Habitus multiplicantur specie non multiplicatis obiectis formalibus, *nego*; materialibus, *subdistinguo*: quandoque, *concedo*; semper et necessario, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Solutio patet ex dictis. Quia enim habitus operativi formaliter specifcantur ex formali ratione proprii obiecti, ideo distinctio *per se* obiecti afficit necessario distinctionem *per se* habitus et vicissim; sed quia obiectum materiale *per accidens* vel mere *per se secundo* se habet ad habitum, ideo distinctio huius obiecti in esse rei *accidit* distinctioni habitus, et ideo potest adesse vel abesse salva distinctione formali habitus.

764. *Obiectio tertia.* Non plus distinguit habitum obiectum quam actus. Atqui actus non distinguit habitum, quia idem actus potest pertinere ad diversos habitus. Ergo neque obiectum distinguit habitum.

765. *Respondetur. Transeat mai. vel etiam concedo*, quia ista tria sunt correlativa: habitus, actus et obiectum.

Nego min. vel etiam distinguo: Actus non distinguit habitum, actus secundarius et materialis, *concedo*; *actus formalis* seu primarius et proprius, *nego*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Solutio patet ex dictis. In obiectione plures habentur aequivocationes, nam in primis transit a genere ad genus, nempe ab ordine psychologico in quo proprie sumus, ad ordinem moralem, et tamen est ratio formaliter distincta utrobique, quia possunt moraliter addi fines operantis fini operis seu psychologico; deinde non distinguit inter actus primarios seu principales, qui formaliter specificant, et actus secunarios et mere materiales, qui per accidens se habent ad habitus et potentias.

Est autem notandum quod fines per se intenti in operabilibus se habent sicut principia in speculabilibus, et ideo mutato fine operis, mutatur opus formaliter, licet maneat idem in esse physico vel psychologico. Insuper, relate ad actus interiores, ipsi fines sunt obiecta propria. Et ideo semper manet verum quod habitus specie distinguuntur ex propriis principiis activis et ex obiectis formalibus.

Art. 3.-Utrum habitus distinguantur secundum bonum et malum

§ I

PRAENOTAMEN

766. Ut patet ex articulo praecedenti, habitus operativus potest distingui specifice triplici respectu: a) genere generalissimo *formae* secundum diversa principia activa seu effectiva propria; b) genere proximo *habitus* seu primae speciei qualitatis secundum ordinem ad diversam naturam subiecti in quo est; c) propria sua differentia vel specie habitus *operativi* secundum diversa obiecta formalia specie differentia. Quae quidem principia distinctiva ordine quodam procedunt, ut patet.

Patet autem quod, sumendo habitum *ut sic in tota sua latitudine*, distinguitur specie secundum diversum ordinem ad naturam per se primo, quia et per se primo dicitur per ordinem ad naturam, ut constat ex dictis supra[1]. Prima ergo et principalis differentia specifica habituum ut sic est quae sumitur secundum naturam subiecti in quo est, et propter hoc ista differentia po-

[1] I-II, 49, art. 2 et 3.

nitur *in ipsa definitione habitus quasi per se primo ei conveniens.*

§ II

SOLUTIO QUAESTIONIS

767. CONCLUSIO PRIMA: *Habitus distinguuntur specie secundum bonum et malum.*

768. *Probatur.* Habitus distinguuntur specie secundum ordinem essentialiter distinctum ad naturam subiecti in quo sunt. Atqui ordo essentialiter distinctus ad naturam subiecti in quo sunt habitus fit secundum bonum et malum. Ergo habitus distinguuntur specie secundum bonum et malum.

Maior est per se nota, et apparet ex articulo praecedenti.

Minor vero facile patet; nam ordo habitus ad naturam subiecti in quo est potest esse duplex tantum, nempe ordo convenientiae et ordo disconvenientiae, qui ordines essentialiter differunt, quia sunt contrarii et contraria specie differunt inter se. Atqui ordo convenientiae ad naturam est bonus; ordo vero disconvenientiae ad naturam est malus, quia bonum est quod est secundum naturam, malum vero quod est contra naturam. Ergo ordo essentialiter distinctus habituum ad naturam subiecti in quo sunt fit secundum bonum et malum.

Et hoc accidit tam in habitibus entitativis quam in operativis. Ita sanitas est habitus entitativus conveniens naturae corporali, et ideo est habitus bonus; aegritudo vero, e contra, est habitus disconveniens naturae corporali, et propter hoc est habitus malus.

Similiter, virtus est habitus conveniens naturae potentiae intellectivae vel appetitivae, et ideo est habitus bonus; vitium vero est habitus disconveniens naturae potentiae intellectivae vel appetitivae, et ideo est habitus malus.

769. *Confirmatur ex signo*: Differentia quae ponitur in definitione essentiali habitus est essentialis vel specifica, quia quae ponuntur in definitione sunt essentialia vel specifica. Atqui bonum et malum ponuntur in definitione essentiali habitus, ut patet ex dictis supra, quaestione 49, articulis 1 et 2, quod nempe habitus sit dispositio secundum quam potentia subiecti bene vel male se habet in ordine essendi vel operandi. Ergo bonum et malum sunt differentiae essentiales seu specificae habitus.

770. CONCLUSIO SECUNDA: *Habitus subdistinguuntur specifice secundum diversa bona et diversa mala.*

771. *Probatur.* Habitus subdistinguuntur specifice secundum diversum ordinem convenientiae vel disconvenientiae ad naturas specifice diversas. Atqui ordo convenientiae ad naturam superiorem et inferiorem inducit duplicem speciem boni habitus; ordo autem disconvenientiae, inducit duplicem speciem habitus mali. Ergo subdistinctio habitus boni et habitus mali sumitur maxime secundum ordinem convenientiae vel disconvenientiae ad diversas naturas.

Unde patet quod differentia specifica habituum secundum ordinem ad naturam potest fieri dupliciter: uno modo, quia est *contrarius* ordo ad *eamdem* specie naturam, et ratione *contrarietatis* accidit specifica differentia; alio modo, quia est *idem ordo* ad naturas specifice *distinctas*, sive sit ordo convenientiae seu boni, sive sit ordo disconvenientiae seu mali. Qui quidem duplex modus potest sequenti schemate contrahi:

ORDO PER SE PRIMO AD NATURAM:

I) specifice *eamdem*:
- a) ordo convenientiae et proportionis: habitus bonus.
- b) ordo disconvenientiae et oppositionis: habitus malus.

II) specifice *distinctam*:
- a) *idem ordo* convenientiae ad naturam:
  - 1) inferiorem seu humanam: habitus bonus specifice humanus.
  - 2) superiorem seu divinam: habitus bonus supernaturalis.
- b) *idem ordo* disconvenientiae ad naturam:
  - 1) inferiorem seu humanam: habitus malus specifice humanus.
  - 2) superiorem seu divinam: habitus malus contra ordinem divinum.

772. Est autem notandum circa ea quae dicit S. Doctor in fine corporis articuli de virtute heroica vel divina, quod sumit nomen virtutis «heroicae» in sensu *plene theologico* pro virtute per se infusa vel supernaturali, et *non in sensu philosophico* pro gradu quodam virtutis naturalis, quatenus est in gradu heroico seu quatenus est virtus purgati animi, de qua loquuntur neoplatonici, nam hic dicit eas distingui specifice vel essentialiter[1]; dum alibi ait eas non distingui specifice, sed gradualiter tantum[2].

Apparet autem ex hoc quod radices distinguendi habitus secundum obiecta et secundum bonum et malum, non sunt disparatae, sed *subordinatae*: nam distinctio secundum *bonum et malum* fit secundum ordinem habitus *ad naturam* subiecti in quo est, et ideo est prima distinctio habitus ut habitus est, et ex eadem radice subdistinguitur habitus secundum diversas bonitates et diversas malitias; distinctio autem secundum *obiecta* est habitus operativi ut sic, ideoque posterior est. Et quia distinctio ex proprio principio activo reducitur ad distinctionem ex obiecto, inde est quod habituum est tantum duplex radix distinctionis, scilicet per ordinem ad

---

[1] Cf. etiam infra, I-II, 62, 1 ad 1 et ad 2; 63, 4.
[2] I-II, 65, 5; III, 7, 2 ad 2.

naturam et, cum hoc, per ordinem ad *obiecta formalia* vel motiva seu quasi activa. Et sub ratione *entis* primo distinguuntur in entitativum et operativum.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

773. *Obiectio prima.* Ea quorum est idem habitus non distinguunt habitum. Atqui boni et mali est idem habitus, quia bonum et malum sunt contraria et contrariorum idem est habitus. Ergo bonum et malum non distinguunt habitus seu habitus non distinguuntur secundum bonum et malum.

774. *Respondetur. Concedo totum et nego conclusionem.* Ratio est quia contraria possunt sumi dupliciter, uno modo, *materialiter* seu in esse rei, et sic idem est habitus contrariorum, quia cum contrarium attingitur per aliud, sicut per habitum scientiae verum attingitur et falsum respuitur, et per habitum virtutis bonum attingitur et malum expellitur; alio modo, *formaliter* seu in attingendo per se primo, et sic quidam habitus sunt boni tantum, alii autem mali tantum, ut virtus semper est bona, et vitium semper est malum.

Tota ergo difficultas stat in aequivocatione inter habitus *contrarios* et habitus *contrariorum*, nam habitus contrarii sunt circa idem diverso modo diversaque ratione, dum habitus contrariorum sunt circa contraria sed eodem modo. Sicut apparet in motu a termino a quo ad quem.

775. *Obiectio secunda.* Quod est commune omnibus rebus non est distinctivum habitus. Atqui bonum et malum, quod est eius privatio, est quid commune omnibus rebus, cum sit quid transcendens. Ergo bonum et malum non sunt distinctivum habitus.

776. *Respondetur. Concedo mai.; distinguo min.:* Bonum et malum in tota sua latitudine seu abstracte sumpta sunt quid commune omnibus rebus, *concedo;* bonum et malum humanum seu concrete acceptum sunt quid commune omnibus, *nego.*

Contradistinguo conclusionem: Bonum et malum non sunt differentiae habitus, bonum et malum transcendens et abstracte sumptum, *concedo;* bonum et malum humanum et concrete acceptum, quod est bonum et malum determinatum, *nego.*

Patet ergo quod tota difficultas nititur in aequivocatione diversae acceptionis boni et mali. Attamen non est necesse restringere significationem boni et mali ad ordinem moralem, sed necesse est eam extendere ad ordinem physicum et psychologicum. Et notanda sunt verba S. Thomae in fine responsionis, scilicet quod «malum, quod est differentia constitutiva habitus, non est privatio pura, sed est aliquid determinatum repugnans determinatae naturae», nempe est ordo defectuosus ad eamdem naturam positivam [1]. Si malum esset privatio pura non posset esse differentia specifica habitus, quia non ens nequit esse differentia, privatio autem est non ens; at malum, sive physicum sive psychologicum sive maxime morale, non est privatio pura seu in esse, sed mixta vel in fieri, et ideo non est pure non ens, quin potius *contrarie* opponitur bono, et sic potest esse vere et vera differentia habitus.

777. *Obiectio tertia.* Circa idem obiectum contingit esse plures habitus bonos specie differentes et plures habitus malos. Atqui id sub quo plures species continentur non distinguit specifice, sed generice. Ergo bonum et malum non sunt differentiae specificae habitus, sed genericae.

[1] Cf. I-II, 55, 4 ad 2.

778. *Respondetur. Concedo totum et nego consequentiam,* nam quae distinguunt genere distinguunt etiam specie. Attamen, notandum est quod non eodem modo distinguuntur specie habitus boni et habitus mali circa idem obiectum, quia boni distinguuntur secundum diversas rationes formales convenientiae in ordine ad naturam, dum mali distinguuntur secundum diversas contrarietates et ideo plures esse possunt quam boni.

Art. 4.-Utrum unus habitus ex multis habitibus constituatur

§ I

PRAENOTAMEN

779. Consequenter S. Thomas, ex hucusque dictis, respondet ad theoriam omnium fere coaetaneorum suorum dicentium quod habitus augentur essentialiter per additionem habitus ad habitum et consequenter habitum totalem et perfectum esse essentialiter constitutum ex multis habitibus partialibus.

Et relicta consideratione circa habitus entitativos naturales, qui proprie loquendo non sunt habitus, sed dispositiones plus minusve habituales, et possunt aliquo modo augeri per additionem, ex parte subiecti, quatenus pars subiecti additur parti subiecti [1], totam suam intentionem convertit ad habitus operativos: «de quo —inquit— nunc principaliter intendimus» [2]; qui sunt habitus proprie et stricte dicti, et inquirit utrum unus habitus specie coalescat ex pluribus habitibus partialibus.

[1] I-II, 52, 2 in fine corporis.
[2] I-II, 54, 4 initio corporis.

§ II

SOLUTIO QUAESTIONIS

780. conclusio: *Unus habitus non est compositus vel constitutus ex multis habitibus, sed est essentialiter simplex.*

781. *Probatur,* tum *a priori* tum *a posteriori* ex effectu eius proprio et quasi formali. *A priori* autem *tripliciter*: primo, ex ratione *generica* qualitatis et formae; secundo, ex ratione propria *habitus* ut sic; tertio, ex ratione propria habitus *operativi*; quae tria argumenta vel media correspondent tribus principiis specificantibus et distinguentibus habitum, de quibus dictum est aupra, articulo secundo.

782. A) *A priori* ergo constat:

1) ex ratione *generica* habitus, secundum quam est *qualitas* vel *forma* quaedam: Nulla forma est essentialiter composita. Atqui habitus est essentialiter forma quaedam. Ergo nullus habitus est essentialiter compositus [1].

Maior facile patet. Nam omnis compositio essentialis necessario deberet esse aut ex materia et forma, aut ex pluribus materiis, aut ex pluribus formis. Atqui nulla ex his compositionibus potest cadere in formam ut forma est. *Non quidem compositio ex materia et forma,* quia tunc forma non esset forma, sed totum quoddam compostium ex materia et forma, sicut homo non est anima sola, sed compositum ex corpore et anima sicut ex materia et forma. *Neque compositio ex pluribus materiis,* quia materia contrariatur formae et contradividitur formae, ideoque forma nequit resultare ex summa quadam matedriae, sicut actus non exsurgit ex summa quadam potentiae, neque anima ex cumulo corporum. *Sed neque*

1 I-II, 54, 4, sed contra.

forma potest componi ex pluribus formis, tum quia omnis forma est actus ideoque quid unum per se, ex actu autem et actu non fit unum per se; *tum* quia, dato formam componi ex pluribus formis, esset processus in infinitum, quia tunc omnis forma ex pluribus formis componeretur; *tum* etiam quia formae componentes formam illam deberent esse aequalis perfectionis vel inaequalis; *non aequalis,* quia forma resultans esset quid totum per accidens, forma autem nequit esse ens per accidens, sed per se; *neque inaequalis,* quia tunc formae inferiores relative ad supremam, essent veluti in potentia, et ideo haberent rationem materiae, et iam haberemus compositionem formae ex materia et forma. Patet ergo evidenter quod nulla forma in ratione formae potest esse essentialiter vel secundum essentiam suam composita.

Minor constat ex supra dictis quaestione 49, articulo primo, ubi ostensum est habitum esse essentialiter qualitatem; qualitas autem est essentialiter forma quaedam accidentalis.

2) *ex ratione propria habitus operativi ut habitus est.* Id quod per modum perfectionis essentialiter ordinatur ad naturam essentialiter simplicem, est essentialiter simplex. Atqui habitus operativus essentialiter ordinatur per modum perfectionis ad naturam essentialiter simplicem. Ergo habitus operativus est essentialiter simplex seu non compositus secundum essentiam suam ex multis habitibus.

Maior patet, quia quod essentialiter ordinatur ad aliud est ei correlativum transcendentaliter et ideo est ei essentialiter proportionatum; insuper, quia, absolute loquendo, *simplex est perfectius composito,* quod est essentialiter proprotionatum simplici *per modum perfectionis* eius, debet esse et ipsum essentialiter simplex, quia perfectio simplicis non est compositum, sed simplex. Quod ideo dicitur, quia non omne quod essentialiter ordinatur ad simplex est simplex, sicut corpus essentialiter ordinatur ad animam, quae est simplex, et tamen non est essemtialiter simplex, sed compositum, quia non or-

dinatur ad animam *ut perfectio* eius, sed *ut perfectibile* ab anima; si autem aliquid ordinatur ad simplex *per modum perfectionis et actus eius*, debet esse simplex.

Minor constat ex ipsa ratione propria habitus operativi, nam habitus operativus dicit per se primo seu essentialiter ordinem ad potentiam operativam rationalem, quae est essentialiter simplex et una, nempe intellectus possibilis et voluntas; aliunde, quia habitus est quasi actus primus potentiae, se habet ad potentiam operativam essentialiter per modum actus seu perfectionis.

Ergo habitus operativus debet esse essentialiter simplex, sicut intellectus et voluntas in quibus subiectatur, immo magis adhuc, quia se habet ad potentias illas per modum actus et perfectionis et formae.

3) *ex propria ratione habitus operativi ut est operativus.* Quod essentialiter constituitur per ordinem ad aliquid unum et simplex, essentialiter est simplex. Atqui habitus operativus essentialiter constituitur per ordinem ad aliquid unum et simplex. Ergo habitus operativus est essentialiter simplex seu non compositus ex pluribus habitibus.

Maior constat, quia quale est constitutivum formale tale est constitutum, nam ista se habent essentialiter ut correlativa, ideoque eiusdem generis et ordinis, et se habent ad invicem ut potentia ad actum, et ut materia ad formam, quae ad invicem sunt causae in diverso genere. Constat autem quod unius potentiae vel materiae adaequatae nequit esse simul nisi una forma totalis et adaequata et vicisim. Habitus autem operativus se habet ad eius formale obiectum ut propria potentia ad proprium actum seu ut propria materia ad propriam formam, et ut propria causa efficiens ad propriam causam finalem. Quandocumque ergo id per quod aliquid formaliter constituitur est essentialiter unum et simplex et constitutum debet esse essentialiter unum et simplex.

Minor autem patet, quia habitus operativus essentialiter constituitur per ordinem ad proprium et formale obiectum eius, ut patet ex dictis articulo secundo. Atqui

obiectum proprium et formale *quo* et *quod* habitus est essentialiter quid unum et simplex, nempe propria forma subiecti principalis prout stat sub tali vel tali modo eam definiendi vel attingendi. Ergo habitus operativus essentialiter constituitur et definitur per ordinem ad aliquid unum et simplex.

Aliis verbis: habitus operativus est essentialiter quid medium inter potentiam operativam cuius est, et obiectum formale eius, ad quod est. Sive autem comparetur ad potentiam sive ad obiectum eius, semper apparet illum esse unum et simplicem, quia et potentia una et simplex est, et ratio formalis obiecti eius est etiam simplex et una. Quod si ponatur habitum esse essentialiter compositum, nulla est ratio ponendi simplicitatem in potentia quam tamen, ut plurimum, admittebant adversarii S. Thomae.

Et haec duplex ratio suggeritur a S. Doctore in corpore articuli, ut legenti patere potest.

783. B) *A posteriori, ex proprio quasi effectu formali habitus operativi.* Quod formaliter seu per seipsum dat unitatem, est essentialiter unum et simplex. Atqui habitus formaliter seu per seipsum dat unitatem potentiae operativae in operando. Ergo habitus operativus est essentialiter unus et simplex, ideoque non compositus ex pluribus habitibus partialibus.

Maior patet, quia effectus formalis est ipsa forma, quatenus intelliguntur regulae eius vel quasi dimanationes, et ideo proprie loquendo non est quid distinctum ab ipsa forma. Si ergo effectus iste formalis alicuius est unitas et simplicitas, manifeste illud est unum et simplex.

Minor vero experientia constat; nam in primis experimur quod potentia sine habitu seu habilitate divagat et dispergitur per plura non necessaria, dum e contra potentia cum et ex habitu recolligitur, unificatur, determinatur, uniformatur et constantiam ac vim recipit,

prout videre est in virtutibus intellectualibus et moralibus.

Insuper, videmus etiam quod, quanto aliquis habitus est altior et perfectior, tanto magis unificat et recolligit seu concentrationem potentiae ad obiectum et actum facit, sicut in ordine naturali Metaphysica vel Sacra Theologia, et in ordine supernaturali caritas; et quo quis magis progreditur in Metaphysica et in caritate, tanto magis est unus et concentratus, ut in sanctis videmus. Sicut autem se habet magis ad magis ita se habet simpliciter ad simpliciter. Ergo dicendum est habitum operativum esse essentialiter quid unum et simplex.

§ III

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

784. *Obiectio prima.* Quod successive generatur seu per partes, est compositum, quia quod per partes fit, per partes est. Atqui habitus operativus successive generatur, quia per plures actus, ut patet ex dictis supra, quaestione 51, articulo tertio. Ergo habitus operativus est compositus ex pluribus habitibus partialibus.

785. *Respondetur. Distinguo mai.*: Quod successive seu per partes generatur quantum ad essentiam vel constitutivum formale eius, est essentialiter compositum, *concedo*; quod successive seu per partes generatur quantum ad ea quae circunmstant essentiam vel constitutivum eius formale, sive per modum dispositionis praeviae, sive proprietatis subsequentis, est essentialiter compostium, *nego*.

Constradistinguo min.: Habitus operativus successive seu per partes generatur quantum ad essentiam vel constitutivum formale eius, *nego*; quantum ad accidentia circumstantia essentiam per modum dispositionis vel sequelae, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam.*

Aliis verbis: quod per partes et ratione sui seu per se generatur est compositum, *concedo*; quod per partes generatur per accidens et ratione alterius est essentialiter compositum, *nego*.

Constradistinguo min. et nego consequens et consequentiam.

Solutio patet ex dictis supra, suaestione 52, articulis 1 et 2, et praesertim quaestione 53, articulo 2. Nam habitus successive generatur et perficitur et suscipit magis et minus, non ratione sui, sed ratione subiecti in quo est, quod latitudinem quamdam habet.

Attamen notandum est in habitibus distingui tria: a) ipsam essentiam habitus ut sic; b) dispositiones praevias ad habitum; c) proprietates eius, quae reducuntur ad statum seu modum habitualem et firmum, quem sortitur in subiecto. Constat autem quod secundum et tertium est quid accidentale habitui ut sic quantum ad essentiam vel especiem suam.

Iam vero, in generatione et in augmento habitus, successio et partes afficiunt dispositiones et proprietates vel sequelas habitus, non autem proprie ipsam essentiam habitus quae uno actu generatur, quandoque quidem sine dispositionibus praeviis, ut in habitu intellectuali; quandoque vero cum pluribus praeviis dispositionibus, et ultimus actus, qui unus est, complet seu cosummat generationem habitus.

Neque hoc est proprium formae accidentalis, quae habitus est, sed commune est etiam in generatione formarum substantialium, quia paulatim disponitur materia ad formam successive et per plures actus, at generatio ipsa fit in instanti et per unum solum actum [1]. Tota ergo obiectio nititur in confusione inter id quod accidentale est habitui et id quod est ei essentiale.

786. *Obiectio secuna.* Compositum est id quod habet partes. Atqui virtutes cardinales, quae sunt habitus

[1] Cf. I-II, 113, 7.

operativi, habent partes subiectivas, potentiales et integrales, uti apparet per totam II-II. Ergo habitus operativi sunt compositi.

787. *Respondetur. Distinguo mai.*: Compositum realiter secundum essentiam suam est quod habet partes, integrales proprie dictas, *concedo*; subiectivas et potentiales, *nego*.

Contradistinguo min.: Virtutes cardinales habent partes subiectivas et potentiales, *concedo*; integrales, *subdistinguo*: proprie et univoce, *nego*; analogice et per similitudinem quamdam, *concedo*.

Et *nego consequens et consequentiam*.

Ratio est quia compositio ex partibus subiectivis est compositio logica, eo quod partes subiectivae sunt species; nihil autem prohibet dicere quosdam habitus habere sub se species seu quasi compositionem logicam; at de hac compositione non loquimur, sed de compositione reali et physica. Et inde apparet quod tenentes contrariam sententiam potius sunt dialectici quam metaphysici et psychologi, et procedunt ex nominalismo potius quam ex realismo.

Partes autem potentiales, proprie loquendo, non faciunt compositionem essentialem, quia illae versantur circa secundaria et adiuncta et accidentalia; ideoque sunt extra essentiam habituum.

Proprie ergo compositionem realem et essentialem faciunt partes integrales, quae tamen in virtutibus cardinalibus non dicuntur in sensu proprio et univoco, sed in sensu quodam largo et analogico, et potius quantum ad obiecta materialia quam quantum ad obiectum formale. Ex hoc ergo nihil concludi potest pro compositione reali et essentiali habitus operativi [1].

788. *Obiectio tertia.* Quod essentialiter constat ex multis partibus est essentialiter compositum. Atqui habitus scientiae constat essentialiter ex multis partibus,

[1] Cf. II-II, 48, art. unic.

quia esentialiter constat ex pluribus conclusionibus. Ergo saltem habitus scientiae est essentialiter compositus.

789. *Respondetur. Concedo mai.*; *nego min. et conclusionem.*

Ratio est, quia habitus scientiae secundum essentiam suam proprie dictam non dicitur per ordinem ad quamcumque conclusionem, vel collectionem conclusionum, sed per ordinem ad primam et principalem conclusionem, quae est de prima passione proprii subiecti prout deducitur ex propria definitione subiecti; ad alias autem conclusiones sequentes ordinatur habitus scientiae secundum quod resolvuntur in primam et stant sub prima. Ideo ergo relative ad alias conclusiones, etiam infinitas, augetur habitus quasi extensive, per se secundo, ut supra dictum est, quaestione 52, articulo 2, at non generatur neque constituitur per se primo.

Ideo ergo negandum est habitum scientiae esse cumulum quemdam conclusionum et argumentorum absque ordine quodam obiectivo et formali; quin potius firmiter tenendum est totam illam pluralitatem esse ordinatam ad aliquod unum et simplex, a quo speciem et essentiam habet; et conclusiones illae debent esse ita per se ordinatae immo et subordinatae sicut propriae passiones vel proprietates formae proprii subiecti primarii vel principalis, quas demonstrare intendit sciens; tunc enim scientia perfecta est quando naturae rei scibilis penitus adaequatur et conformatur, ita ut scientia sit veluti exacta reproductio scibilis prout est in se; et vere tunc habitus scientiae erit quasi secunda natura; et sicut natura non facit saltum, sed ordinate procedit, ita et scientia non potest saltum facere, sed ordinate demonstrare.

CAPUT II

IPSA DIVISIO GENERALIS HABITUUM

790. Ut supra notavimus S. Doctor non tradit ex professo divisionem aliquam completam habituum, sed solum tradit principia secundum quae habitus essentialiter distingui possunt. Unde necesse est ut nos, ex omnibus hucusque dictis, et secundum principia S. Thomae, divisionem generalem habituum explicite tradamus.

Quod quidem duplici modo faciemus, scilicet: 1°, secundum principia realia; 2°, secundum principia logica, coordinando logice habitus essentialiter distinctos secundum principia realia.

§ I

DIVISIO REALIS HABITUUM

791. Omnis divisio per se debet respondere naturae rei dividendae et fieri secundum principia vel rationes quae per se spectant ad naturam rei dividendae. Constat autem naturam habitus completam sumi secundum quatuor causas simul sumptas, prout ex divisione huius tractatus apparuit. Ergo etiam divisio per se et essentialis habitus debet fieri secundum quatuor causas simul sumptas. Attamen accidere potest quod idem habitus sub di-

versis causis contineatur, licet diversimode, sicut etiam vulgo dicitur quod causae ad invicem sunt causae in diverso genere.

A. *Divisio ex parte causae quasi materialis*

792. Causa quasi materialis habitus est proprium subiectum eius, quod est quasi materia *in qua*. Est autem duplex subiectum habitus, scilicet aliud remotum seu *quod*, nempe suppositum, aliud vero proximum seu *quo*, nempe pars subiecti secundum quam est habitus in subiecto eique convenit [1].

a) Proprie autem subiectum *quod* habitus est creatura rationalis nempe homo et angelus, et secundum hoc distingui potest habitus ex parte suppositi *in quo* est, in humanum et angelicum.

b) Dein, uterque habitus subdividtur ex parte subiecti *quo* seu proximi, et sic habitus *humanus* subdividitur in *corporalem*, qui est in solo corpore sicut in subiecto; et *spiritualem*, qui est in sola anima; et *mixtum* quodammodo ex corporali et spirituali, licet magis de spirituali participet, qui nempe est in composito utriusque vel potius in facultatibus quae subiectantur in composito. Habitus autem *angelicus* nequit esse nisi spiritualis, eo quod angelus est purus spiritus, et sic subdivitur secundum quod est *in ipsa essentia* angelica (habitus entitativus supernaturalis) vel *in potentiis eius*, nempe in solo intellectu —si sermo fiat de ordine naturali— et in voluntate —si loquamur etiam de ordine supernaturali—.

c) Habitus autem *humani subdividuntur* secundum diversas partes subiecti *quo*, et sic habitus *corporalis*,

---

[1] Cf. S. Thomam, *III Sent.*, dist. 33, q. 2, art. 4, qla. 1; *De Virtutibus*, q. 1, art. 3; I-II, 56, 1 ad 3; III, 77, 2 ad 1.

qui entitativus est, subdividitur secundum diversas partes corporis quas afficit, ut sanitas in humoribus, fortitudo in musculis et nervis, pulchritudo in membris exterioribus. *Spiritualis* autem subdividitur secundum quod est in ipsa *essentia* animae (entitativus supernaturalis) vel in *potentiis solius animae* seu anorganicis, nempe in intellectu possibili (habitus operativi intellectuales) et in voluntate (habitus operativi morales). *Mixtus* quodammodo ex spirituali et corporali, qui subiectatur in potentiis organicis seu inferioribus, subdividitur in *moralem*, qui est in appetitu sensitivo concupiscibili vel irascibili; et *dispositionem ad intellectualem*, quae est in potentiis apprehensivis interioribus, maxime in cogitativa et memoria sensitiva.

B. *Divisio ex parte causae efficientis*

793. Ex parte principii seu causae efficientis, habitus dividitur in habitum *naturalem*, qui producitur seu causatur *a natura subiecti* in quo est; et in habitum *supernaturalem vel infusum*, qui causatur in subiecto *ab Auctore naturae*, agente *extra et supra* vires et exigentias naturae.

a) *Naturalis* autem *subdividitur* secundum modum quo habitus causatur a natura subiecti in quo est, nempe aut *immediate per seipsam*, per modum simplicis emanationis aut resultantiae, saltem exigitive, et sic est habitus *innatus seu inditus vel congenitus*, ut in speciebus intelligibilibus angelorum; aut *mediantibus actibus* et operationibus subiecti per potentias suas, qui ideo sunt inchoative a natura, sed consummative a propria industria, et sic est habitus *acquisitus*, ut sunt omnes habitus humani.

Acquisitus autem *subdividitur* secundum quod acquiritur *quantum ad species tantum* et ideo sine discursu secundum causalitatem, ut habitus primorum principiorum (intellectus, synderesis), aut *quantum ad species et*

lumen intellectuale quo proximo et *cum discursu secundum causalitatem* ut habitus mediatus sapientiae et scientiae et prudentiae et artis.

b) *Supernaturalis* vero seu infusus subdividitur secundum duplicem modum supernaturalitatis, nempe *quoad modum tantum* seu accidentaliter, et sic est habitus infusus per accidens, quia quoad essentiam suam causari etiam potest ab aliqua causa creata; et *quoad substantiam* vel essentiam suam, et sic est habitus infusus per se, sive entitativus sive operativus sit, quia nonnisi a Deo causari potest supra totum ordinem naturae.

Unde patet quod, sicut habitus naturalis subdividitur secundum duplicem modum naturalitatis, ita supernaturalis subdividitur secundum duplicem modum supernaturalitatis.

C. *Divisio ex parte causae finalis*

794. Causa finalis habitus est secundum quam habitus primo dicuntur *boni* vel *mali*, quia bonum et malum maxime attenduntur secundum finem. Hoc autem est natura ipsa subiecti in quo sunt habitus, ut patet ex dictis quaestione 54, articulo tertio, quia «natura est finis generationis et motus» [1].

Hoc ergo modo habitus essentialiter dividitur in bonum et malum, prout convenit naturae subiecti in quo est vel disconvenit seu contrariatur ei.

Et uterque subdividitur secundum divisionem naturae cui convenit vel cui disconvenit. Et sic habitus *bonus subdividitur* in habitum *naturalem*, qui respondet naturae propriae et constitutivae subiecti, et dicitur habitus humanus vel angelicus; et *supernaturalem*, qui respondet naturae superiori participatae in natura propria subiecti, et in hoc sensu distinguimus in homine virtutem humanam et divinam seu theologicam vel infusam. *Malus* etiam *subdistinguitur* prout contrariatur naturae propriae vel insuper naturae superiori participatae, quia contraria proportionaliter subdistinguuntur.

[1] I-II, 49, 2 c. in fine et ad 1.

D. *Divisio ex parte causae formalis*

795. Licet in habitibus finis et forma plerumque conveniant seu incidant in idem re, tamen possumus distinguere inter has duas causas reservando rationem *finis pro natura* subiecti in quo sunt habitus, et ponendo causam *formalem* in *obiecto proprio seu formali* habitus operativi.

Oportet ergo hoc modo dividere habitus operativos secundum obiecta formalia eorum. Haec autem sunt *verum et bonum*, quae sunt obiecta potentiarum animae cognoscitivarum et appetitivarum, et ideo hoc modo habitus operativi dividuntur in intellectuales seu cognoscitivos et morales seu appetitivos.

Intellectuales autem subdividuntur secundum diversas rationes formales obiecti veri attingendi, nempe secundum diversos gradus abstractionis formalis seu *medii* demonstrativi seu modi definiendi; *morales* vero secundum diversas rationes formales boni *prosequendi* vel difficultatis aut mali *superandi* seu vincendi.

796. Si ergo velimus uno veluti conspectu totam hanc divisionem prae oculis habere, possumus eam hoc schemate contrahere:

Divisio generalis habituum:

I) *Ex parte subiecti* in quo sunt seu *causae quasi materialis*:

A) homo, habitus *humanus*:

a) *in solo corpore*: habitus *corporalis* entitativus, in partibus:

1) homogeneis vel similibus, ut ossa, nervi, musculi: *fortitudo* seu vigor.
2) heterogeneis vel dissimilibus:
α) liquidis et endogenis, scilicet humoribus: *sanitas*.
β) solidis et exogenis, scilicet membris: *pulchritudo*.

b) *in sola anima*: habitus *spiritualis*:
1) in ipsa essentia animae: habitus entitativus supernaturalis.
2) in potentiis inorganicis seu spiritualibus animae:
α) in intellectu possibili: habitus *intellectuales*.
β) in voluntate: habitus *morales*.

c) *in composito* utriusque, nempe in potentiis organicis seu totius compositi: habitus mixti, magis tamen de spirituali quam de corporali habentes:
1) appetitivis:
α) concupiscibili: habitus *morales*.
β) irascibili: habitus *morales*.
2) apprehensivis interioribus, scilicet imaginatione, memoria et cogitativa: *dispositiones ad intellectuales*.

B) angelus: habitus *angelicus*:
a) in ipsa essentia angeli: habitus entitativus supernaturalis.
b) in potentiis angeli: pro ordine naturali in solo intellectu; pro ordine supernaturali etiam in voluntate.

II) *Ex parte principii* seu causae *efficientis*:
A) a natura subiecti in quo est: habitus *naturalis*:
a) a natura *immediate* per simplicem dimanationem aut quasi dimanationem: habitus *innatus, inditus, congenitus, concreatus*.

b) a natura *mediate*, idest mediantibus propriis actibus per facultates naturae: habitus *acquisitus*.

B) ab Auctore naturae, operante extra et supra potentiam activam et exigentias naturae: habitus *supernaturalis* vel infusus a Deo:
a) supernaturalis *quoad modum*: habitus *infusus per accidens*.
b) supernaturalis *quoad substantiam*: habitus *infusus per se*.

III) *Ex parte causae finalis* seu naturae subiecti in quo est:
A) habitus conveniens naturae subiecti: habitus *bonus*:
a) naturae propriae seu constitutivae: habitus *naturalis*, humanus.
b) naturae superiori participatae et appropriatae: habitus *supernaturalis*, divinus.

B) disconveniens naturae subiecti: habitus *malus* seu vitium:
a) contrarium naturae propriae.
b) contrarium naturae appropriatae seu gratiae.

IV) *Ex parte causae formalis* vel obiecti seu termini formalis:
A) verum: habitus *intellectualis*:
a) necessarium seu speculativum:
1) immediatum: *intellectus*.
2) mediatum: sapientia et scientia subdividenda ex diverso gradu abstractionis formalis.
b) contingens seu practicum:
1) immanens seu agibile: *prudentia*.
2) transiens seu factibile: *ars*.

B) bonum: habitus *moralis* subdividendus secundum diversas rationes formales *boni honesti*:

a) alienum vel alterius: *iustitia*.

b) proprium: *temperantia* et *fortitudo*.

§ II

COORDINATIO LOGICA HABITUUM REALITER DIVISORUM

797. Si autem modo velimus *logice* coordinare habitus realiter diversos secundum genera et species eius, recolere debemus undenam sumitur differentia generica et specifica habituum.

Generatim loquendo distinctio habituum potest esse triplex: generica, specifica et numerica, quae tamen ultima non coordinatur logice nisi negative quatenus non amplius dividitur cum sit individua.

Distinctio *generica* sumitur ex diverso subiecto vel potentia in qua est habitus, quia, ut dictum est articulo primo quaestionis 54, distinctio potentiarum se habet ad distinctionem habituum sicut genus ad species. Et eadem ratione est distinctio generica illa quae sumitur secundum ordinem ad naturam subiecti in quo est habitus, sive sit secundum diversum ordinem ad eandem naturam subiecti, sive secundum similem ordinem ad diversas naturas, *quia natura subiecti reducitur ad ipsum subiectum*.

Secundum hoc ergo dicendum est quod inter habitus naturales et supernaturales est differentia generica, quia fit secundum ordinem ad diversas naturas; similiter inter habitum bonum et malum est differentia generica, quia sumitur secundum contrarium ordinem ad eamdem naturam subiecti.

Est quoque differentia generica inter habitus humanos et habitus angelicos, quia secundum diversa subiecta *quod* vel *quae*.

Pariter est differentia generica inter habitum operativum et entitativum, quia est per ordinem ad diversum subiectum proximum, et eodem modo est differentia generica inter habitus intellectuales et morales, quia fit secundum diversum subiectum proximum; et eodem modo est differentia generica inter habitus intellectuales et morales, quia fit secundum diversum subiectum.

Distinctio autem *specifica* sumitur proprie loquendo ex diverso obiecto formali *quo* intra obiectum potentiae, quod se habet quasi genus; vel etiam *ex diverso modo* dicendi ordinem convenientiae aut disconvenientiae ad eamdem naturam subiecti.

Distinctio vero *individualis* seu numerica sumitur ex individualitate proprii subiecti habitus, quia habitus, utpote accidens, individuatur ex individuatione proprii subiecti.

798. Si ergo velimus coordinare habitus *secundum principia theologica*, prima differentia est inter habitus naturales et habitus supernaturales, qui coordinantur postea proprotionaliter sequenti modo:

GENUS SUPREMUM: QUALITAS, sub qua *prima species* qualitatis, scilicet *habitus*:

- I) *naturalis*:
  - A) humanus:
    - a) entitativus,
    - b) operativus:
      - 1) spiritualis seu inorganicus:
        - α) intellectualis:
          - — speculativus:
            - – immediatus seu intellectus,
            - – mediatus:
              - - sapientia:
                - - Metaphysica,
                - - Theologia sacra.
              - - scientia cum speciebus suis.
          - — practicus:
            - – prudentia cum speciebus suis,

– ars cum speciebus suis.
β) moralis seu iustitia cum speciebus suis.
2) organicus:
α) cognoscitivus (dispositio),
β) appetitivus:
— concupiscibilis seu temperantia cum suis speciebus,
— irascibilis seu fortitudo cum suis speciebus.

B) Angelicus, qui est operativus intellectualis tantum.

II) *supernaturalis*:
A) entitativus:
a) bonus:
1) gratia sanctificans,
2) iustitia originalis.
b) malus: peccatum originale.
B) operativus:
a) virtutes:
1) circa finem seu theologales cum suis speciebus.
2) circa media seu morales cum suis speciebus.
b) dona Spiritus Sancti, cum suis speciebus.

799. Et haec videtur esse vera et scientifica divisio habituum secundum propriam eius naturam. Advertatur quod in ordine supernaturali non differunt specie habitus humanus et habitus angelicus, quia potentia obedientialis utriusque eadem specie est.

Moderni quidam solent distinguere habitus modo quodam nimis accidentali et emperico, v. gr. distinguunt habitus in *activos* seu ad agendum et *passivos* seu ad patiendum vel resistendum; in *generales* seu ad agendum vel patiendum multa, et *particulares* seu ad agen-

dum vel patiendum aliqua determinata tantum; denique in *physicos, physiologicos, instinctivos* vel *psychologicos, morales* et *intellectuales* seu *mentales*. Sed patet ista non esse scientifice dicta, sed per modum simplicis enumerationis cummulativae.

COMPLEMENTUM

DE PROPRIETATIBUS HABITUUM

800. Denique oportunum erit aliqua dicere de proprietatibus vel attribitis habituum, quae possunt dici veluti leges habituum, ut hodie dicunt.

Sunt autem tria genera proprietatum habituum, scilicet proprietates psychologicae, morales et veluti mixtae seu compositae ex utrisque.

§ I

PROPRIETATES PSYCHOLOGICAE HABITUUM

801. Loquimur, ut patet, de habitibus operativis, qui proprie ad psychologiam spectant in ordine naturali.

Isti autem habitus operativi, licet principaliter sint veluti in subiecto in potentia rationali per essentiam vel participationem, tamen secundario et instrumentaliter extenduntur ad organa corporis quibus utuntur in suis operationibus et functionibus. Unde necesse est considerare effectus proprios seu proprietates horum habituum tum in facultatibus animae tum in organismo corporeo, quae possunt dici proprietates physiologicae vel organicae.

Unde distinguimus proprietates psyshologicas, physiologicas seu organicas, et psycho-physiologicas seu quasi mixtas. Habitus enim qui sunt in potentiis organicis sicut in subiecto proprio utuntur propriis organis facultatis in qua sunt [1].

Lex fundamentalis habitus est quod sit veluti *secunda natura*, quia est forma accidentalis per se primo ordinata ad naturam subiecti in quo est. Unde vere et profunde dicitur quod habitus est secunda natura. Ideo:

802. a) *In ordine psychologico* habitus talem effectum producit in potentia animae in qua est ut faciat eam operari opera habitus *connaturaliter* seu *per modum naturae*, et ideo sicut natura ipsa, facit illam operari: 1) uniformiter et perseveranter; 2) prompte et faciliter seu expedite; 3) delectabiliter; 4) instinctive seu quasi impeccabiliter; 5) specializat potentiam. Unde S. Thomas scribit: «Habitibus virtutum ad tria indigemus: primo, ut sit uniformitas in sua operatione; ea enim quae ex sola operatione dependent, facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita; secundo, ut operatio perfecta in promptu (et quasi instinctive) habeatur; nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, praecedere inquisitionem de operatione, sicut patet de eo qui vult considerare nondum habens scientiae habitum, et qui vult secundum virtutem agere habitu virtutis carens; unde Philosophus dicit in V Ethicorum quod repentina sunt ab habitu [2]; tertio, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur, quod quidem fit per habitum qui, cum sit per modum cuiusdam naturae, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et, per consequens, delectabilem; nam convenientia est delectationis causa; unde Philosophus, in II Ethicorum, ponit signum habitus delectationem in opere exsistentem» [1]. «Operationes ex habitu procedentes delectabiles sunt et in promptu habentur et faciliter exercentur, quia sunt quasi connaturales effectae» [2].

[1] Cf. S. Thomam, II-II, 123, 10.
[2] Cf. II-II, 123, 7-9.

Ex hac autem delectatione et connaturalitate provenit quod in scientiis, v. gr., delectemur in his quae correspondent nostrae consuetudini vel mentalitati, et non facile admittamus alia differentia. Qua de re digna sunt quae legantur ea quae post Aristotelem tradit S. Thomas in II Metaphysicorum, lectione quinta, ubi multa melius describit quam in opere celeberrimo Main de Biran, cui titulus «Influence de l'habitude sur la faculté de penser» [3].

Quia vero habitus est minoris extensionis quam potentia operativa in qua est, ideo *specializat* et perficit potentiam.

Et inde est quod, quia in operatione habitus habetur et substantia vel essentia eius et modus uniformitatis, facilitatis et delectationis, quae ad invicem se habent secundum prius et posterius, tribui solet potentiae nudae substantia operis; habitui autem modus operis, licet revera tam potentia quam habitus utrumque faciant, diversimode tamen, quia se habent per modum causae per se subordinatae; denominatio autem ista fit ab eo quod per se primo et quasi formaliter utrique convenit.

803. b) *In ordine autem physiologico seu organico* quasi novam naturam imprimit secundum exigentias collaborationis ad effectus habitus proprie dicti, et ideo, sicut natura ipsa: 1) modificat et determinat organismum modo definito adaptando eum propriae operationi; 2) consequenter inducit mechanismum seu automatismum.

[1] *De Virtutibus in communi*, q. 1, a. 1.
[2] *De Veritate*, 20, 2.
[3] *In II Metaphysicorum*, lect. 5, nn. 331-334.

804. c) *In ordine psycho-physiologico*: 1) causat inconscientiam seu inadvertentiam, quia non requirit deliberationem, et inde dictum illud: *ab assuetis non fit passio*; 2) auget vires operativas totius hominis, ex earum regulatione et unificatione et organizatione, et simul *diminuit conatum exteriorem*.

805. Haec omnia quae enumeravimus in triplici ordine, *moderni* solent recensere hoc modo: 1) evolvit tendentias ad operandum et diminuit resistentias; 2) causat praecisionem in motibus operativis et maiorem rapiditatem seu promptitudinem; 3) impedit iacturam virium et tollit poenalitatem in operando; 4) fovet evolutionem potentiae syntheticae conscientiae; 5) atrophiat sensibilitatem et tendit ad inconscientiam; 6) causat automatismum in operationibus biologicis, psychicis et moralibus.

§ II

PROPRIETATES MORALES HABITUUM

806. Modo proportionali considerari possunt effectus morales seu potius influxum moralem tum in potentias ipsas tum in organa corporis.

a) *Per se* ergo seu quantum ad ipsam potentiam in qua est: 1) auget et perficit operationem; 2) auget consequenter voluntarietatem operationis, quia magis ab intrinseco; 3) auget bonitatem et malitiam; 4) auget etiam responsabilitatem, quia magis in manu propria ponit operationes; et finaliter, 5) auget meritum et demeritum.

b) *Per accidens* autem in organis corporis et consequenter in motibus eius: 1) auget determinismum, et ideo ex consequenti; 2) diminuit libertatem horum motuum; 3) diminuit et responsabilitatem; 4) et consequenter malitiam seu demeritum.

Sicut videmus in illis qui assuefacti erant ad blasphemandum, qui spontanee et absque ulla reflexione vel

attentione proferunt verba blasphemiae, etiamsi habitum malum interne retractaverint per veram et sinceram contritionem et poenitentiam. Et ideo initio necesse est magno conatu et attentione contraria opera facere aut verba dicere.

§ III

PROPRIETATES MIXTAE SEU PSYCHOLOGICO-MORALES

807. Denique adest quaedam quasi proprietas vel effectus habitus psychologico-moralis, qui dici solet *character*.

Multa scripta sunt ultimis temporibus de charactere et de educatione vel efformatione characteris.

Sciendum est ergo quod χαρακτήρ, ex χαρασσω = imprimere, sigillare, «proprie est signaculum quoddam» quo aliquid ab alio distinguitur [1], et dicitur de imagine impressa in nummo vel in cera vel de sigillatione militum, quasi eorum distinctivum. Unde et in vita humana character dicitur vulgo veluti nota distinctiva alicuius hominis.

Attamen, proprie loquendo, non quaecumque nota distinctiva seu individualis alicuius hominis dicitur character, nam in homine possumus distinguere tria: duo ex parte corporis organici, nempe: a) formam *exteriorem*, quae dicitur morphologia seu physiognomia; et b) compositionem *interiorem* organico-humoralem, quae dicitur complexio, constitutio vel temperamentum; et tertiam ex parte *animae* quantum ad vitam eius psychicam *affectivam*, prout est in relatione cum distinctivis organismi, et istud proprie loquendo dicitur *character*, qui duplex esse potest: alter *innatus* seu naturalis aut psychologicus, qui solet neutraliter uno verbo dici «naturale» in linguis modernis (=«el natural»); alter *acquisitus*

---

1 III, 63, 1 et 3.

ad modum secundae naturae, et iste propriissime dicitur *character moralis*.

808. Inde ergo apparet characterem *moralem* maxime consistere in habitibus acquisitis *moralibus*, prout tamen relationem habent correctionis et reformationis et perfectionis inclinationum affectivarum naturalium et temperamentorum sub dominio rationis et voluntatis. Attamen, valde difficile est «naturale» domare, et ideo vere proverbium hispanicum dicit «genio y figura hasta la sepultura», et illud «adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea»[1].

In efformatione characteris magnas partes habet virtus fortitudinis cum suis partibus, specialiter cum constantia et perseverantia, ut ostendit Cesaitis in sua dissertatione, cui titulus «Fortitudo, praecipua characteris virtus» (Mariampoli 1925)[2].

Character psychologicus habet has modalitates: 1) firmus-debilis; 2) asperus-lenis; 3) stabilis-mutabilis; *moralis* autem: 1) bonus-malus; 2) generosus-egoisticus; 3) sincerus-infidus.

809. *Antiqui* distinguebant characteres iuxta temperamentum sanguineum, melacholicum, cholericum et flegmaticum. Ideo *sanguinei* facile et sine profunditate et duratione excitarentur, et essent proclives laetitiae et voluptati; *melancholici* facile et profunde et constanter excitarentur et essent proclives ad concupiscentiam sub forma tristitiae; *cholerici* facile et prompte et persistenter excitarentur, et essent proclives ad iram et arrogantiam; *flegmatici* tarde, sed profunde et constanter excitarentur, et essent proclives ad commoditates.

---

1 *Prov.* 22, 6.

2 M. Barbado, O. P., optimum studium habet de hac re: *La physionimic, le tempérament et le caractère, d'après Albert le Grand et la science moderne*, apud «Revue Thomiste», mars-avril 1931, pp. 314-351, ubi textus praecipui S. Alberti et S. Thomae adducuntur.

810. *Moderni* vero diversas tradunt classificationes. Sic, v. gr.:

Bain et Fouillée distinguunt characteres: *intellectualis, volitivus* et *emotivus*.

B. Pérez distinguit: *vivaces, tardi* et *impulsivi*; aut *vivo-impulsivi, lento-impulsivi, ponderati*.

Malapert vero distinguit: *apathici*, quos subdistinguit in puros, intellectuales et activos; *affectivi*, quos subdistinguit in sensitivos, emotivos et passionales; et *intellectuales*, quos subdistinguit in activos, temperatos et energicos.

APENDICES

I.—DOCTRINA SANCTI THOMAE AQUINATIS DE DISTINCTIONE INTER HABITUM ET DISPOSITIONEM [1]

Non est minoris momenti cognoscere doctrinam S. Thomae Aquinatis de distinctione inter habitum et dispositionem. Super hanc enim distinctionem aedificavit doctrinam suam de natura habitus, quasi super ultimam differentiam qua habitus essentialiter in seipso constituitur et a ceteris secernitur [2]. Norunt autem omnes quanti fecerit Thomas theoriam de habitibus cum in ordine psychologico tum in ordine morali, quantoque rigore soleat principia —quae ex notionibus essentialibus sumuntur— in conclusiones evolvere.

Quae cum ita sint, haud immerito dixeris totam doctrinam thomisticam de habitibus ab hac una distinctione dependere. Ideo utile videtur tum germanam eius mentem hac de re investigare, tum valorem ipsius ac fundamentum detegere.

§ I

DE SINCERA MENTE SANCTI THOMAE

S. Thomas ergo inhaesitanter admittit doctrinam Aristotelis de natura qualitatis deque eius adaequata divisio-

---

[1] Prius editum apud «Studia Anselmiana», fasc. 7-8, Romae 1938.
[2] S. THOMAS, *Summa theol.*, I-II, 49, 2, ad 3.

ne in quatuor species, quae sunt: habitus et dispositio, naturalis potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, forma et figura[1]. Ait enim quod, si qui alii modi qualitatis in medium proferantur, «tamen omnes reducuntur ad has species; quod patet ex hoc, quod nulla alia species inveniri adhuc potuit»[2]. Et cum eodem Philosopho tenet habitum pertinere ad primam qualitatis speciem[3].

Sed quia Aristoteles posuit duos modos huius primae speciei, nempe habitum et dispositionem, sicut et ceterarum specierum, S. Thomas, aliorum commentatorum Aristotelis vestigia premens, totus est in determinanda *differentia habitus a dispositione*, an scilicet ea sit *mere accidentalis* quasi inter gradus individuales unius eiusdemque speciei, vel potius *essentialis seu specifica* veluti inter duas species adaequate distinctas unius generis subalterni[4]. Huic enim inquisitioni ansam praebuit ipse modus loquendi Philosophi, qui quandoque habitum definit per dispositionem[5]; aliquando a dispositione contradistinguit[6]; interdum vero illamet exempla uno in loco adducta veluti dispositiones, alibi appellat habitus[7].

1. *Graeci expositores accidentalem tantum differentiam agnoscunt.* Iuxta Porphyrium, habitus et dispositio «tanquam species inter se minime differunt, ut homo et bos: ὡς μὲν εἴδη ἀλλήλων οὐ διενήνοχεν ὥσπερ ὁ ἄνθρωπος τοῦ

---

[1] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, nn. 3, 7-8, 14 (ed. Didot, I, 13-15).
[2] S. THOMAS, *In IV Sent.* d. 4, 1, 1c. Cf. etiam *Summ. theol.*, I-II, 49, 2c; 110, 3, obi. 3; III, 63, 2; *Quaest. disp. de Virtutibus in communi*, 1c. Eodem modo S. ALBERTUS MAGNUS: «si qui autem alii modi qualitatis inveniantur, *facile reducuntur ad istos*» (*De Praedicamentis*, tract. V, cap. 9, ed. Borgnet, t. I, 261).
[3] *Summa theol.*, I-II, 49, 2.
[4] *Summa theol.*, I-II, 49, 2, ad 3.
[5] ARISTOTELES, *IV Metaph.*, cap. 20, n. 2: ἕξις λέγεται διάθεσις καθ' ἣν εὖ ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον, καὶ ἢ καθ' αὑτὸ ἢ πρὸς ἄλλο (ed. Didot, II, 15-16).
[6] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, nn. 4-6 (I, 13).
[7] Ita, ὑγίεια in Categoriis appellatur διάθεσις (Categ., cap. 6, n. 4, I, 13, 18-20), dum in VII Physicor., cap. 3, n. 4 (II, 337, 33), et in IV Metaph., cap. 20, n. 2 (II, 529, 16-17), nominatur ἕξις

βοός sed solum ratione maioris stabilitatis et diuturnitatis habitus prae dispositione, eo fere modo quo album differt a semialbo et dulce a semidulci; τῷ μὲν μονιμωτέρα εἶναι δόξειεν ἄν διαφέρειν τῆς διαθέσεως, οὐ μὲν τῷ γε εἶναι ποιότης[1].

Simplicius pariter dicit quod «habitus et dispositiones veluti duas species differentiis specificis distinctas intelligere non oportet, sicut homo et bos distinguuntur, sed potius velut parvulus nuper genitus differt a viro qui iam matura aetate floret, qui quidem specie non differunt», vel sicut domus plene perfecteque aedificata differt ab inchoata vel dimidiata: τῶν δὲ ἕξων καὶ διαθέσεων οὐχ ὡς δύο εἰδῶν ἀκούειν χρὴ διαφοραῖς εἰδοποιοῖς διωρισμένων, ὡς ἄνθρωπος διώδισται καὶ βοῦς, ἀλλ' ὡς ὁ ἀρτίτοκος πρὸς τὸν ἀκμάζοντα διενήνοχεν, οὐ γὰρ τῷ εἴδει ταῦτα διαφέρει[2].

Ammonius similiter affirmat quod habitus et dispositio differunt in hoc, quod «dispositio facile amittitur, habitus vero est permanentior», quia per longum exercitium effectus est quasi secunda natura. Ita, exempli gratia, Grammaticam aut Rhetoricam per modum habitus possidet ille, qui quaestionibus grammaticalibus aut rhetoricis prompte recteque satisfacit, ac dubitationes emergentes facile, quasi ex praeparato, dissolvit; e contra, per modum dispositionis habet ille, qui mediocriter tantum eas adeptus est, ita sane ut quaestionibus recte prompteque respondere non possit, neque difficultatibus occurrentibus obviam ire. Attamen dispositionis nomen, licet quandoque distinguatur contra nomen habitus, nonnunquam commune est habitui et dispositioni; sicut nomen quandoque contradistinguitur a verbo, et tamen aliquando verbum appellamus nomen quoddam. Quamvis ergo minus clare et explicite quam praecedentes —saepe enim Aristotelem fere exscribit—, revera tamen eandem

---

[1] PORPHYRIUS, *In Aristotelis Categorias*, ed. A. Busse: Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. I, 129, 6-7, 15-17 Berolini, 1887.
[2] SIMPLICIUS, *In Categorias Aristotelis*, ed. C. Kalbfleisch: Comment. in Aristotelem graeca, vol. VIII, 229, 13-15. Berolini, 1907.

retinet sententiam de accidentali differentia inter dispositionem et habitum [1].

2. *Neque aliter sentiunt commentatores arabes.* Abusalt de Denia docet dispositiones esse qualitates primae speciei cito transeuntes, ut febris unius diei; habitus vero esse qualitates firmas, solidas, permanentes, ut scientia vere sapientis et sanitas perfecte valentis. An vero essentialiter differant, expresse non tradit; quin potius ex his, quae circa alias qualitatis species statim subiungit, sequi videtur sola accidentalis differentia secundum magis et minus intra eandem essentiam [2].

Eodem modo Averroes, qui ait qualitates primae speciei vocari dispositiones quando sunt facile mobiles et cito transeuntes; habitus, e contra, si sint difficile mobiles et diuturnae, utpote vehementer impressae ac fortiter inhaerentes subiecto. At specie non differunt, quia qualitas, quae primo est dispositio, postmodum convertitur in habitum si firmiter inhaereat subiecto. «Per hoc nomen, habitus, graeca lingua significantur ea quae diuturniora sunt et difficile mobilia; nam qui disciplinas manifeste eas non exactissime retinet, non dicitur apud graecos habitum obtinere; nam qui ita se habet, dicitur ad disciplinas dispositus, sive melius sive peius. Sunt quoque habitus aliquo pacto dispositiones, sed dispositiones non sunt habitus. *Habitus* praeterea *sunt primo dispositiones, mox in fine efficiuntur habitus*» [3]. Quia tamen qualitates animae solent esse firmiores ac diuturniores qualitatibus corporis animati, convenienter nomen habitus reservari potest ad qualitates animae designandas, ut scientias et virtutes, relicto nomine dispositionis

---

[1] AMMONIUS, *In Aristotelis Categorias*, ed. A. Busse: Comment. in Aristotelem graeca, vol. IV, P. IV, 81-84. Berolini, 1895.

[2] ABUSALT DE DENIA, *Rectificación de la mente*: Tratado de Lógica, texto árabe, traducción y estudio previo, por A. González - Palencia, cap. 2, pp. 64-65. Madrid 1915.

[3] AVERROES, *In Praedicamenta Aristotelis*. Opera, t. I, p. 22 b. 9-17, Venetiis, 1552.

pro qualitatibus corporis significandis, ut pulchritudine et sanitate [1].

Haud secus Abentomlus Alciranus. Qualitas primae speciei est quidam modus essendi animae, ut scientia, virtus, ars; vel corporis animati quatenus animati, ut sanitas et aegritudo. Et si quidem modus iste accidentalis sit firmus et permanens, nomen obtinet habitus; sin autem instabilis et infirmus, appellatur dispositio. Aristoteles utrumque nominavit dispositionem; quo fit, ut nomen hoc, dispositio, utpote ambobus commune, vocari possit quasi eorum genus ipsique quasi species eius. At nefas est dicere habitum et dispositionem essentialiter differre inter se, cum se habeant ad invicem ut perfectum et imperfectum intra eandem essentiam vel naturam, eo fere modo quo se habent naturalis potentia et impotentia in secunda specie qualitatis [2].

3. *Eandemque sententiam tenent expositores latini.* Boetius notat quod «habitus *firma* est *dispositio*, affectio [=dispositio] *infirmus* est *habitus*» [3], quodque inter se «nonnisi *tantum diuturnitate differunt* permanendi; unde fit, ut genere et specie habitus a dispositione non discrepet» [4], sed solum accidentaliter, secundum magis et minus, «quemadmodum *ipse Socrates* dum esset *parvulus*, post vero *pubescens, a seipso* distabat» [5], vel sicut eadem albedo firmius aut minus firmiter impressa parieti [6]. Quocirca recte dictum est dispositiones *inveteratas* habitus facere; nam, cum quaelibet dispositio perma-

---

[1] AVERROES, *Epithoma in libros Logicae Aristotelis*, interprete Abrahamo de Balmes, § sermo de qualitate. Opera, t. II, Ult. P., fol. 159v. Lugduni, 1552.

[2] ABENTOMLUS DE ALCIRA, *Introducción al arte de la Lógica*, texto árabe y traducción española por M. Asín, cap. 3, pp. 82-83. Madrid, 1916.

[3] M. S. BOETIUS, *In Categorias Aristotelis*, lib. III. ML. 64, 241 D.

[4] BOETIUS, *Op. cit.*, col. 242 A.

[5] BOETIUS, *Ibid.*, col. 241 D.

[6] BOETIUS, *Ibid.*

nens et difficile mobilis facta est, illa iam non dispositio aut affectio, sed habitus vocandus est»[1].

Böetium —qui et ipse fere exscripserat Simplicium— exscribit Abaelardus, qui addit: «nec habitus et dispositio species esse possunt...; *eadem nempe qualitas*, quae *prius dispositio* fuit et facile mobilis, *postea* sic firmatur ut *in habitum transeat*, sicut ipse Aristoteles docet. Dicimus itaque habitum et dispositionem *non specialia* [=specifica seu specierum] nomina esse, sed sumpta a quibusdam proprietatibus *accidentalibus*, quod alterum facile, alterum non facile promoveri possit. Idem de passibili qualitate et passione dicimus»[2].

4. *Atque inde ad philosophos et theologos scholasticos transivit.* Ita, Guilelmus Alvernus scribit: «quid differt dispositio ab habitu, secundum ipsum [=Aristotelem], nisi quod haec est facile, ille vero difficile mobilis? Facilitas enim et difficultas mobilitatis *non diversificantur secundum speciem.* Non enim alterius speciei est nigredo in corvo et albedo in nive quam sint in eis quae facile tingibilia aut distingibilia sunt: albedo enim et nigredo veri nominis, species specialissimae sunt. Amplius, quid est scientia versa in habitum, nisi scientia radicata atque firmata? Firmatio autem et radicatio non sunt generationes novae scientiae neque acquisitiones»[3].

His consentit S. Albertus Magnus, iuxta quem «differt habitus a dispositione *non formaliter* [=specifice], sed in hoc quod dispositio facile mobile aliquid est, illud autem quod est habitus diuturnius radicatum est, et ideo difficile mobile»[4]. Itaque habitus et dispositio «ad *eandem* pertinent *speciem*», eaedemque dispositiones «*dicuntur* habitus ex eo, quod tunc habentur *adeptione perfecta*, et quia tunc potentia, quae ante nutabat in actu et fluctuabat, *stat* in ipsis sicut in forma perficiente et *perfecta* ad operationes illius potentiae»[1].

---

[1] BOETIUS, *Op.* et *loc. cit.*, col. 242 D.

[2] P. ABAELARDUS, *In Categorias Aristotelis*, ed. B. Geyer: Peter Abaelards philosophische Schriften, apud Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Bd. XX, Hft. 2, p. 226, 10-21. Münster i. Westf. 1921.

[3] GUILELMUS ALVARNUS, *De virtutibus*, cap. 1, p. 102, col. 2 FG. Venetiis 1591.

[4] S. ALBERTUS MAGNUS, *De Praedicamentis*, tract. V, cap. 2, ed. Borgnet, t. I, p. 247.

Idem etiam opinatur S. Bonaventura, qui ait quod dispositio «est *eiusdem naturae* cum habitu», atque ideo «*fit habitus*»[2], hoc est, de ipsa «*transitur in habitum*, sicut scientia-dispositio fit scientia-habitus»[3]. Unde habitus proprie dictus distinguitur contra dispositionem per perfectum et imperfectum intra eandem speciem vel naturam[4], quia «perfectum et imperfectum *non variant rem secundum essentiam*»[5].

5. *Et hanc communem expositorum ac theologorum sententiam amplexus est quoque S. Thomas iunior*, qui eam non semel, sed saepe proponit. In Scripto super Sententiis Petri Lombardi tenet quod «haec quidem qualitas sive forma, *dum adhuc imperfecta est, dispositio dicitur; cum autem iam consummata est et quasi in naturam versa, habitus nominatur* qui, ut ex II Ethicorum et V Metaphysicorum accipitur, est secundum quem nos habemus ad aliquid bene vel male. *Et inde est* quod in Praedicamentis dicitur *dispositio facile mobilis* et *habitus difficile mobilis*, quia quod naturale est non cito transmutatur»[6]; «quia *nihil aliud est dispositio quam quidam habitus incompletus*»[7]. Unde «dispositio postea

---

[1] S. ALBERTUS MAGNUS, *Op.* et *loc. cit.*, p. 247 a.

[2] S. BONAVENTURA, *In IV Sent.*, d. 6, P. I, a. unic., 3, ad 2, ed. Quaracchi, t. IV, p. 142 a.

[3] S. BONAVENTURA, *In II Sent.*, d. 24, 3, 2, ad 2, ed. Quaracchi, t. II, p. 586 a.

[4] S. BONAVENTURA, *In IV Sent.*, d. 6, P. I, a. unic., 1 c., ed. Quaracchi, t. IV, p. 138 a.

[4] S. BONAVENTURA, *In II Sent.*, d. 19, 3, 2, ad 2, ed. cit., t. II, p. 473 a; d. 27, 1, 3, arg. 3 sed contra, p. 659 b, et corp. p. 660 a.

[6] S. THOMAS, *In III Sent.*, d. 23, 1, 1 c., ed. Moos, n. 21.

[7] S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 4, 1, 1 c.

fit perfectio, sicut scientia, quae prius fuit dispositio, postea *fit* habitus; et ideo scientia-dispositio et scientia-habitus sunt in eodem subiecto proximo»[1].

Et similiter in Quaestionibus disputatis de Veritate, ubi docet quod dispositio et habitus sunt in eodem subiecto, quando scilicet «ipsa dispositio *fit* habitus»[2].

At senior factus, in contrariam omnino sententiam abiit. Paulatim tamen et veluti per gradus. *Primo* quidem admittens possibilitatem vel potius *hypothesim* alterius sententiae, adhuc tamen priorem *de facto* retinens, ut patet in sequenti textu Quaestionum disputatarum de Malo: «*difficile mobile non est differentia constitutiva habitus; nec enim dispositio et habitus sunt diversae species,* alioquin non posset una et eadem qualitas, quae prius fuit dispositio, postea *fieri* habitus: sed *facile mobile et difficile mobile se habent sicut perfectum et imperfectum circa eandem rem.*

Dato autem quod difficile mobile esset differentia constitutiva, adhuc ratio non sequeretur; quia quod aliquis habitus fiat de facili mobilis potest contingere dupliciter: uno quidem modo *per se,* quia scilicet non habet ita perfectum esse in subiecto, et sic quidquid diminueret hoc quod est difficile mobile circa habitum, diminueret ipsum habitum; alio modo, *per accidens,* ex eo scilicet quod inducitur dispositio ad contrarium, ut si dicamus quod forma aquae per susceptionem caloris fiat minus de difficili mobilis et tamen constat quod forma substantialis non diminuitur...»[3].

Sed quia contra rerum essentias, quae necessariae sunt, non datur possibilitas, *postea* incunctanter defendit sententiam oppositam, nempe dispositionem et habitum veluti duas *species essentialiter* differre, ideoque dispositionem *nequaquam fieri* habitum. Sic enim scribit

---

[1] S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 4, 1, 3 qla. 1, ad 1. Cf. etiam in *II Sent.*, d. 24, 3, 6, ad 6.

[2] S. THOMAS, *Quaest. disp. de Veritate,* 14, 4, ad 5.

[3] S. THOMAS, *Quaest. disp. de Malo,* 7, 2, ad 4.

in Summa theologica: «ista differentia, *difficile mobile,* non diversificat habitum ab aliis speciebus qualitatis, sed *a dispositione.* Dispositio autem *dupliciter* accipitur: uno modo, secundum quod est *genus habitus,* nam in V Metaphysicorum dispositio ponitur in definitione habitus; alio modo, secundum quod est aliquid *contra habitum divisum.*

Et potest intelligi dispositio *proprie dicta* [idest *non communiter,* ut quando est genus habitus], *condividi* contra habitum *dupliciter*: uno modo, sicut perfectum et imperfectum *in eadem specie,* ut scilicet dispositio retinens nomen commune [generis], quando imperfecte inest, ita quod de facili amittatur, et sic dispositio *fit* habitus, sicut puer *fit* vir; alio modo, possunt distingui sicut *diversae species* unius generis subalterni, ut dicantur dispositiones illae qualitates primae speciei quibus convenit *secundum propriam rationem* ut *de facili* amittantur, quia habent *causas transmutabiles,* ut aegritudo et sanitas; habitus vero dicantur illae qualitates quae, *secundum suam rationem,* habent quod *non de facili* transmutentur, quia habent *causas immobiles,* sicut scientiae et virtutes —et secundum hoc, dispositio *non fit habitus*—»[1].

6. *Post Thomam* autem Scholae doctores in *tres positiones,* naturali fere lege Historiae, divisi sunt: discipuli S. Thomae, quos thomistas vocant, sequuntur Magistri sui ultimam ac definitivam sententiam; alii, ut Scotus et Durandus, non obstante eorum spiritu critico in Aristotelem aliosque Doctores, sententiam traditionalem retinent de distinctione mere graduali habitum inter et dispositionem[2]; tandem Suarezius, more muo eclecti-

---

[1] S. THOMAS, *Summa theol.*, I-II, 49, 2, ad 3.

[2] Docet SCOTUS, Aristotelem potius tradidisse divisionem qualitatis in *modos* quam in *species* proprie dictas (Oxon. *in IV Sent.*, d. 6, q. 10, n. 14. Opera, ed. Vives, t. 16, p. 633 a), et quidem in modos non omnes, sed magis notos et famosos (*Super Praedicamenta Aristotelis,* q. 36, n. 20, ed. cit., t. I, p. 516): «est autem differentia inter *speciem* et *modum,* quia species super illud cuius est addit differentiam *essentialem;* modus, differentiam *accidentalem*» (*Super Praedi-*

cismum sequens, modificata notione habitus et dispositionis, *verbotenus* convenit partim cum thomistis partim cum scotistis, *reapse* tamen ab utrisque dissentit. Suarezio etenim si credas, de habitu et dispositione loqui possumus dupliciter: primo, ut dicunt qualitates afficientes corpus, et sic non differunt essentialiter, sed mere accidentaliter; secundo, ut important qualitates afficientes animae potentias, et tunc, si habitus nominet actum primum et dispositio actum secundum, specie differunt inter se: sin autem ambo nominent actum primum, essentialiter non discriminantur ab invicem. — Iam vero, *presse loquendo, dispositio nominat actum secundum*; habitus vero, actum primum. Unde concludit quod Thomae sententia, «quantum ad *conclusionem intentam*..., nimirum quod habitus et dispositio sub peculiari quadam et contracta significatione possint specie distingui», ei probatur; «tamen *modus explicandi* propositus» ipsi non placet «quoad omnia»[1].

Haec tamen Suarezii sententia, utpote pro libitu mutans notiones qualitatis et habitus et dispositionis —qualitas enim, atque ideo omnis qualitatis species, *forma* quaedam accidentalis cum sint, essentialiter significant *actum primum*—, nullum, aut fere, asseclam adepta est, sed emortua nata fuit.

7. Ut ergo ad Thomae sententiam redeamus, *eam thomistae expolire conati sunt*, Magistri vestigia prementes[2]. Quo in munere primas partes habuit, quod ego

---

camenta, q. 36, n. 3, p. 511 b). Unde concludit quod habitus et dispositio non differunt nisi «penes differentias *accidentales*» (*ibid.*, n. 20, p. 517 a), et quod «dispositio se habet ad habitum sicut imperfectum ad perfectum» intra eandem speciem: contrarium autem dicere, est «*contra Aristotelem*, quia tunc nullus actus esset dispositio» (*Super Praedicamenta*, q. 36, n. 4, p. 512 a). Circa DURANDUM, qui minus explicitus est, conferri potest eius commentarium in *I Sent.*, d. 17, q. 10, fol. 39 rb, Lugduni, 1533. Idem tenet VAZQUEZ, S. J. (*In Summam theol.*, I-II, 49, 2. Disp. 78, cap. 3, nn. 19-20, pp. 716-717. Compluti, 1599), inter Scholae criticos criticissimus.

1 SUAREZ, S. J., *Disputationes Metaphysicae*, disp. 42, sect. 6, nn. 15-17, ed. Barcinone 1884, t. XIII, pp. 228-230.

2 Qui et evolutionem Thomae hac de re notaverunt. Ita, CONRA-

sciam, Thomas de Vio Caietanus, quem posteriores exscribere solent, reticito licet nomine plerumque. Caietanus itaque ingenue fatetur se «*fere* omnia quae in hoc praedicamento scribit» ex Thoma (I-II, qq. 49-50) sumpsisse; atque ad rem veniens, prosequitur: «ad claram autem notitiam sententiae S. Thomae, nosse oportet quod alicui potest convenire esse facile vel difficile mobile *dupliciter*, scilicet ex ratione *speciei*, vel ex conditione *individui*.

Illud dicitur *difficile mobile per se seu ex ratione speciei*, quod *ex natura sua* vindicat sibi *causas difficile variationem compatientes*, ut scientia, cuius causae sunt lumen intellectus agentis et intellectus possibilis et praemissae quae se aliter habere non possunt. Et similiter, illud dicitur esse *facile mobile per se seu ex ratione speciei*, quod *ex natura sua* vindicat sibi *causas facile transmutabiles*, ut sanitas, quae causatur ex calido et frigido..., quae, propter alterationes continuas, facile transmutantur.

Illud autem dicitur esse *facile vel difficile mobile per accidens seu ex conditione individui*, cui, ex eo quod est *in hoc subiecto sic disposito*..., facile vel difficile transmutabile est; ut scientia, quae ex se difficile mobilis est,

---

DUS KOELLIN, O. P., recte scribit: «quomodo autem distinguantur habitus et dispositio per facile et difficile mobile, Doctor sanctus distinguit duos modos: quorum primus est Boetii et Alberti, qui dicunt quod differunt sicut perfectum et imperfectum *in eadem specie*, ut Sortes puer et ipse vir; ideo Philosophus coniunxit coniunctione copulationis dicens: habitus *et* dispositio; et *illum modum dicendi secutus est Doctor sanctus in De Malo*, q. 7, a. 2, ad 4: — *sed secundus modus est qui hic Doctori sancto placet*, quod sunt *distinctae species*» (*In I-II*, 49, 2, ad 3, p. 333 b. Venetiis, 1589). Minus accurate JOANNES A S. THOMA dicit quod S. Doctor «*idem docet*» in Summa theologica et in de Malo, «licet etiam oppositam opinionem admittat, sed non resolutive» sicut in Summa (*Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 18, a. 3, ed. B. Reiser, O. S. B., t. I, p. 616 a, 30-33), et quod in de Malo «favet» opinioni Scoti (ibid., p. 615 b, 26-28). E contra, eius comprofessor in Universitate Complutensi, JOANNES MARTINEZ DE PRADO, O. P., fatetur, prout revera est, quod illam opinionem «*omnino approbat* S. Thomas, q. 7 de Malo, a. 2, ad 4» (*Quaestiones logicae in tres libros distributae*, lib. II, q. 26, n. 14, p. 465 b. Compluti, 1655).

per accidens tamen, ex eo quod est *in hoc male disposito*, inchoative et cetera, facile mobilis est; et per oppositum infirmitas, quae per se facile mobilis est, ex eo quod est sic firmiter radicata *in hoc*, difficile mobilis est.

Illae ergo *qualitates*, quae *difficile mobiles* sunt *ratione speciei*, *habitus* sunt; illae autem, quae *ex ratione suae speciei facile mobiles* sunt, *dispositiones* sunt: ita quod habitus et dispositio distinguuntur *specifice* per differentias circumloqutas per difficile et facile mobile *ex ratione speciei*»[1].

Animadvertit tamen quod, «quia multa conveniunt rei *per accidens*, quae ex natura propria sibi non vindicat, ideo nihil prohibet inveniri habitum aliquem facile mutabilem *in illo*; et similiter dispositionem aliquam difficile *in eo* mobilem ex aliqua occurrente causa: et tunc contingit *habitum* esse, non dispositionem sed *per modum dispositionis*; et similiter *dispositionem* esse, non habitum sed *per modum habitus*. *Scientia* enim, quae non firmiter retinetur, habitus quidem est sed *per modum dispositionis*, quia facile perdi *ab illo* potest; *infirmitas* vero iam firmiter radicata, dispositio quidem est sed *per modum habitus* inest»[2]. Unde caute distinguendum est inter facile et difficile mobile «ut sunt differentiae *specificae* distinguentes habitum et dispositionem inter se, et ut sunt *modi* essendi eorum... Primo namque modo *naturas* eorum constituunt et *definitionem* eorum ingrediuntur *separarique* ab eis *non possunt*, etiam per intellectum, sicut nec rationale ab homine et irrationale ab equo: secundo autem modo *accidentia* eorum sunt et *extranea* ab eorum naturis *succedereque sibi invicem circa idem possunt*, ut magis et minus circa calidum et frigidum se habent»[3].

---

1 CAIETANUS, O. P., *Commentaria in Praedicamenta Aristotelis*, cap. de Qualitate, pp. 197-198. Lugduni, 1560.

2 CAIETANUS, *Op.* et *loc. cit.*, pp. 199-200. Cf. etiam in II-II, 171, 2, n. 3.

3 CAIETANUS, *Ibid.*, p. 200.

8. Quae cum ita sint, oportet sedulo distinguere inter *essentiam* dispositionis et *modum seu statum* dispositionis; et similiter inter *essentiam* habitus et *modum seu statum habitus*. Consequenter, dari possunt *quatuor* combinationes, quarum *duae* sunt *per se*, scilicet: a) *dispositio cum modo seu statu dispositionis*, nempe facile mobilis non solum ex parte propriae causae vel obiecti, sed etiam ex parte subiecti; b) *habitus cum modo seu statu habitus*, videlicet difficile mobilis, et ex parte causae specificantis, et ex parte subiecti: — et *duae per accidens*, nimirum: a) *dispositio cum modo seu statu habitus*, hoc est, facile mobilis ex parte propriae causae vel obiecti et difficile mobilis ex parte subiecti; b) *habitus cum modo seu statu dispositionis*, idest difficile mobilis ex parte propriae causae vel obiecti et facile mobilis ex parte subiecti.

Sunt autem res definiendae secundum ea, quae eis conveniunt *per se*, hoc est, *ex propriis causis*; non secundum ea, quae ipsis conveniunt aut convenire possunt *per accidens*, ex aliqua *accidentali* conditione subiecti. Unde «non consistit *ratio* habitus in hoc, quod difficile *removeatur*, sed quod difficile *mobilis* sit; nec quod dispositio facile *mutetur*, sed quod facile sit *mobilis*, ex ordine scilicet ad *causas* suas *intrinsecas*, non ex aliquo extrinseco per accidens faciente quod *actu* duret vel non duret»[1]: quia «differentia propria et *essentialis* habitus non est difficile *removeri* a subiecto *de facto et in exercitio*, sed difficile esse *mobilem* et *postulare* illam *immobilitatem*; sicut differentia essentialis hominis non est *ratiocinari* sed *rationabilem* esse, nec proprietas est *ridere* sed *risibilem* esse»[2]. Quando ergo dispositio susci-

---

1 JOANNES A S. THOMA, O. P., *Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 18, a. 3, ed. Reiser, t. I, p. 616 b, 20-29.

2 JOANNES A S. THOMA, *Cursus theologicus*, in I-II, 49, 2, disp. 13, a. 3, n. 7, p. 42 b. Lugduni, 1663. Id, quod in omni definitione essentiali observandum est, quia termini definitionum non «supponunt» actualiter, sed *aptitudinaliter*. Cuius ratio est, quia definitio essentialis significat ipsam essentiam rei finitae, quae non est ipsum suum

pit modum seu statum habitus, *non fit* habitus, sed solum induit modum accidentalem eius; ac similiter, quando habitus suscipit statum seu modum dispositionis, *non fit* dispositio, sed tantummodo induit modum eius accidentalem. Nullum enim est inconveniens quod eadem res mutetur de uno accidenti in aliud; et ideo una eademque qualitas primae speciei mutari potest ac transire de modo accidentali dispositionis ad modum accidentalem habitus, et vicissim: quo in sensu dici potest, quod *modus* dispositionis *fit modus* habitus et e converso; quod autem *ipsa dispositio* transeat in habitum ita ut *fiat ipse habitus,* vel habitus ipse mutetur in dispositionem et *fiat* dispositio, hoc est *impossibile,* quia species rerum sunt intransmutabiles ad invicem.

Talis est classica thomistarum explicatio, quam multi alii Scholae doctores amplectuntur.

§ II

DE VALORE AC FUNDAMENTO SENTENTIAE S. THOMAE

Quia tamen Angelicus, ut ex dictis patet, hanc doctrinam suam induxit contra torrentem Doctorum peripateticorum, naturaliter pulsat animum inquisitio de habitudine eius tum ad sinceram mentem Aristotelis tum ad ipsam rei veritatem.

1. *Ad primum quod attinet,* si extrinseca tantum momenta humanae auctoritatis peripateticorum aequa lance ponderemus, haud facile erit iudicium ferre definitivum utra harum expositionum sit menti Aristotelis con-

esse actuale exsistendi, sed solum importat «rem, cui *competit* huiusmodi esse» (S. THOMAS, *Quodlib. II*, a. 3 c.), hoc est, cui *debetur* esse utpote subiecto *apto* essendi; sicut definitio accidentis non significat rem *actualiter* inhaerentem substantiae, sed *aptitudinaliter* tantum, cum sit essentialiter res, cuius quidditati *debetur* esse in substantia, seu *aptitudinem* habens ad substantiam (Cf. *Quodlib.* 9, a. 5, ad 1 et 2; *De Potentia*, q. 7, a. 3, ad 4; *Suma theol.*, III, 77, 1, ad 2).

formior. Licet enim verum sit quod, *ex una parte,* est unanimis vox interpretum Stagiritae graecorum, arabum, latinorum, ipso Thoma iuniore non excepto, ac insuper graeci expositores singularem quandam auctoritatem sibi vindicent in Aristotele interpretando, tum quia super textum originalem graecum sibi vernaculum ideoque bene notum laborabant, tum etiam quia directe et ex professo Opus Philosophi exponebant; dum *ex alia,* est solitaria tantum vox unius Thomae senioris latinam versionem examinantis, et quidem nonnisi per transennam et incidenter inter opera theologica, ideoque alterius generis, conscribenda: — hic tamen excessus aliunde compensatur.

Re quidem vera, testes, sicut et alia argumenta, non tam numerandi quam ponderandi sunt. Porro, unius Thomae auctoritas in Aristotele interpretando ceterorum omnium auctoritatem si non excedit, certe adaequat, quemadmodum viri et in historicis et in aristotelicis rebus eruditi notaverunt. Ludovicus Vallisoletanus recolit quod Thomas «in exponendo litteraliter Aristotelem *non habuit aequalem*; unde a philosophis *Expositor, per excellentiam,* nominatur» [1]. Augustinus Niphus, memoratis graecis expositoribus, ad Thomam veniens ait: «*nec* eius commentaria *minoris facio* his quae *graeci* scripserunt, ut recte intelligenti patet» [2]. Ac Franciscus Toletus, S.J., in interpretando Philosopho sagicissimus, postquam enumeravit omnigenos commentatores graecos, arabos, latinos, quos consuluit «dum de Aristotelis mente agebatur», concludit: «*unus sane Thomas instar erit omnium,* in quo et diligentia interpretandi et doctrinae gravitas cum pietate coniuncta, multa, varia ac solida eruditio,

1 LUDOVICUS VALLISOLETANUS, O. P., *Tabula scriptorum Conventus S. Jacobi parisiensis*, apud editores leonianos Operum S. Thomae, in praefatione ad Thomae Expositionem in libros Perihermeneias: Opera, t. I. Romae 1882.

2 AUGUSTINUS NIPHUS, *Expositio subtilissima necnon et collectanea commentariaque in tres libros Aristotelis de Anima*, praefatio in fine. Venetiis, 1559.

incredibilis praeterea methodus in integris etiam disciplinis pertractandis, nec commentariis solum quos scripsit in Aristotelem, sed multo etiam magis Summa theologiae, Summa contra Gentes, Quaestionibus disputatis et ceteris eius scriptis, *tantam* —ut de Theologia taceamus— *Philosophiae lucem attulit unus quantam ceteri omnes* —aliorum pace dixerim— *possint explanatores afferre*; in quo ex nullius arbitror laude quidpiam detrahi, si id dicitur de S. Thoma quod ipsorum quisque, si et viveret et adesset, de eodem videretur esse dicturus»[1]. Nota sunt etiam praeclara verba Silvestri Mauri, S.J., prae ceteris interpretibus extollentis «S. Thomam, qui, quia ingenio fuit Aristoteli simillimus, *ita Aristotelem explicat, ut non alius Aristotelem sed Aristoteles seipsum explicare videatur*»[2].

Nec moderni expositores critici dissentiunt, ut E. Rolfes, A. Mansion, G. Colle, alii.

Et sane Thomas, ut omnes norunt, Guilelmum de Moerbeck, confratrem suum, rogavit ut versionem quandam directam ac litteralem sibi faceret Operum Aristotelis, super quam commentaria nonnulla exaravit ediditque, habito prae oculis ipso textu graeco et acersito forte aliquo interprete continuo, ut videre est in frequentibus appellationibus, quas facit, ad textum graecum, inter exponendos libros Ethicorum et Metaphysicorum. Praeterea, sententiam suam definitivam proposuit cum, data opera, considerabat primam speciem qualitatis, nempe in tractatu de habitibus in genere, cuius duo primi articuli sunt mera et directa expositio textus aristotelici (Summa theol., I-II, 49, 1-2); e contra, aliorum sententiam secutus fuit quando, per transennam et veluti summis labiis, tangebat quaestionem praesentem.

1 FRANCISCUS TOLETUS, S. J., *Commentaria una cum quaestionibus in octo libros Aristotelis de Physica Auscultatione*, ad lectorem, fol. 2 v. Venetiis, 1578.

2 SILVERTER MAURUS, S. J., *Aristotelis Opera omnia, quae exstant, brevi paraphrasi et litterae perpetuo inhaerente expositione illustrata.* Prooemium totius Operis, n. 11, ed. F. Ehrle, t. I, p. 2 b. Parisiis, 1885.

2. Necesse est ergo, ad dirimendam finaliter hanc controversiam, *adire et consulere textum ipsum Aristotelis*, quem S. Thomas et alii invocant.

Atqui textus aristotelicus loquitur in favorem sententiae traditionalis, quam Thomas iunior secutus fuerat.

Exorditur Philosophus animadvertens qualitatem dici multipliciter, πλεοναχῶς, statimque quatuor numerat species binas et binas: primam, ἕξιν καὶ διάθεσιν; alteram, δύναμιν φυσικὴν καὶ ἀδυναμίαν; tertiam, παθητικὴν ποιοτὴν καὶ παθὴν; ultimam, μορφὴν καὶ σχῆμα[1]. Iam vero membra *trium ultimarum* specierum non differunt essentialiter inter se sed *mere accidentaliter*, ut ipse textus exigit et omnes omnino commentatores, thomistis non exceptis, agnoscunt. Unum pro omnibus audiamus Joannem a S. Thoma: «nomine autem impotentiae, inquit, non intelligimus puram carentiam potentiae, sed potentiam imbecillem et imperfectam, sicut hebetudo ingenii, potentia generandi debilis et similia; unde constat inter potentiam et impotentiam sic acceptam *non intercedere specificam distinctionem* ex vi potentiae et impotentiae praecise: eadem enim potentia imperfecta et imbecillis, sublata imbecillitate, redditur potentia»[2]. Ac de tertia specie: «circa distinctionem inter ipsam passionem et passibilem qualitatem, *communis sententia est solum differre accidentaliter et penes causas extrinsecas durationis*; nam specifice *eiusdem rationis* sunt rubor causatus ex verecundia, qui cito transit, et causatus ex bono temperamento qui diu durat»[3]. Rursus, de ultima: «*differunt* [forma et figura], *iuxta communem sententiam, solum accidentaliter*; dicit enim figura terminationem quantitatis seu modum illius praecise et quasi mathematice sumptum; forma addit, quod sit dicta terminatio cum debita proportione quasi formositate: unde non abs-

1 ARISTOTELES, *Categ.* cap. 6, nn. 2-3, 7-8, 14, ed. Didot, I, 13-15.

2 JOANNES A S. THOMA, O. P., *Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 18, a. 3, ed. B. Reiser, O. S. B. t. I, p. 618 a, 35-46.

3 JOANNES A S. THOMA, *Op. et loc. cit.*, p. 620 a, 16-24.

trahit a sensibilibus qualitatibus, sed illis modificatur, et sic figura formata seu cum proportione facta dicitur forma» [1]. Ergo nec membra primae speciei differunt essentialiter inter se, sed nonnisi accidentaliter.

Hoc exigit parallelismus doctrinalis textus; hoc postulat ipsa propria indoles qualitatis, cuius est suscipere magis et minus seu intendi et remitti secundum essentiam suam, per contrapositionem ad praedicamenta substantiae et quantitatis et relationis de quibus paulo antea locutus fuerat [2], atque ideo binas et binas ponit qualitatis species, quasi perfectum et imperfectum seu intensum et remissum intra eandem speciem, ut hanc essentialem latitudinem veluti ob oculos poneret; hoc reclamat ipsa structura grammaticalis, qua membra harum specierum describuntur, terminis scilicet comparativis meram gradualem differentiam indicantibus [3], non terminis absolutis; hoc denique petit usus horum verborum, ἕξις et διάθεσις, apud ipsum Aristotelem, qui eandem rem, puta sanitatem, quandoque nominat διάθεσιν, [4] quandoque ἕξιν [5], indifferenter utroque nomine utens quasi unam eandemque rem et essentiam significante. Neque contrarium probat usus exclusivus unius verbi, ἕξις, per totum librum V Ethicae Nicomacheae, ad habitus virtuosos designandos, ut nonnulli valde urgent [6], nam, cum virtus nominet dispositionem non quamcumque, sed perfectam — ἡ μὲν ἀρετὴ τελείωσίς τις [7]— quae presse dicitur ἕξις iuxta ipsum Aristotelem [8], ratione huiusce conditionis materiae

---

[1] JOANNES A S. THOMA, *ibid.*, p. 620 b, 5-15.

[2] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 3-6, ed. cit., I, 2-13.

[3] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, n. 4: διαφέρει δὲ ἕξις διαθέσεως τῷ πολὺ χρονιώτερον εἶναι καὶ μονιμώτερον (ed. cit., I, 13, 10-11). Cf. ibid., n. 5 (I, 13, 27-35).

[4] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, n. 4 (ed. ut., I, 13, 20).

[5] ARISTOTELES, *VII Physicorum*, cap. 3, n. 4 (ed. cit., II, 337, 17-19, 31-37); *IV Metaph.*, n. 2 (II, 529, 14-17).

[6] Cf. M. S. GILLET, O. P., *Les éléments psychologiques du Caractère morale d'après Aristote*, apud Revue des Sciences philosophiques et théologiques, I (1907), pp. 217-236.

[7] ARISTOTELES, *VII Physicorum*, cap. 3, n. 4 (ed. cit., II, 337, 21). Cf. *I de Caelo*, cap. 11, nn. 7-8 (ed. cit., II, 385, 25-46).

ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, nn. 5-6 (I, 13, 27-37).

debuit semper verbum, ἕξις, adhibere. Id, nominandae quod vel ipsum nomen, ἕξις, confirmat. Dicitur enim ἕξις ab ἔθος quod est consuetudo, quia scilicet actuum repetitione acquiritur firma et perfecta dispositio aliquid bene operandi, quae est ipsa virtus moralis, ἠθική ut contradistinguitur ab intellectuali, διανοητική [1], quae potius studio ac doctrina obtinetur. Quodsi vel εἶδος et γένος pro eodem sumuntur in capite de qualitate —nam prima species appellatur ἓν εἶδος dum ceterae dicuntur γένος: ἕτερον δὲ γένος, τρίτον δὲ γένος τέταρτον δὲ γένος, [2]— sane non apparet cur ἕξις et διάθεσις veluti totidem species intelligantur.

3. Hanc textus aristotelici difficultatem sensiisse videtur *ipse S. Thomas*, qui, post inductam novam suam sententiam, mox subiungit modeste ac prudenter: «et hoc videtur magis consonum intentioni Aristotelis» [3]. Non asserit categorice: *est*, neque absolute affirmat: *consonum*, neque simpliciter pronuntiat: *dicit Aristoteles*; sed hypothetice: *videtur*, et comparative: *magis* consonum, ac finaliter: *intentioni*, hoc est, *spiritui, non litterae*, prout iacet.

Quod vero addit, quasi paraphrasim textus aristotelici: «si aliquis imperfecte habeat scientiam ut de facili possit ipsam amittere, magis dicitur disponi ad scientiam quam scientiam habere [4], non est profecto urgendum nimis, nam textus Philosophi sic se habet: «videtur scientia ex eorum esse numero, quae diutius permanent ac *difficilius amoventur, si vel mediocriter* aliquis scientiam sit

---

[1] ARISTOTELES, *II Ethic, Nicomach.*, cap. 1, nn. 1-3 (ed. cit., II, 14, 32-45). Neque refert, ad rem praesentem quod spectat, quid quis teneat de Operum Aristotelis chronologia deque Philosophi variationibus doctrinalibus; hanc enim sententiam suam de natura habitus videtur semper retinuisse firmiter ac invariabiliter, per modum veri habitus. Ceterum eruditi et critici moderni sat communiter dicere solent Physicam, Ethicam et Metaphysicam post Categorias fuisse conscriptas; id, quod expositionem nostram confirmaret amplius.

[2] ARISTOTELES, *Categ.*, cap. 6, nn. 3, 7-8, 14 (ed. cit., I, 13-15).

[3] S. THOMAS, *Summa theol.*, I-II, 49, 2, ad 3.

[4] S. THOMAS, *Op. et loc. cit.*

consecutus, ἐὰν καὶ μετρίως τις ἐπιστήμην λάβῃ, nisi forte magna ocurrerit immutatio ex morbo vel alio quopiam huiusmodi» [1].

Et similiter dicendum est de his, quae adnotat postea: «dispositiones *corporales* non sunt *simpliciter* difficile mobiles, propter mutabilitatem corporalium causarum; possunt tamen esse difficile mobiles per comparationem ad *tale subiectum*, quia scilicet tali subiecto durante amoveri non possunt, vel quia sunt difficile mobiles per comparationem ad alias dispositiones [omnino facile mobiles]. Sed qualitates *animae* sunt *simpliciter* difficile mobiles, propter immobilitatem subiecti (=obiecti proprii, quod est universale et necessarium). Et ideo non dicit (Aristoteles), quod sanitas difficile mobilis, *simpliciter* sit habitus, sed quod est *ut habitus*, sicut in graeco habetur: qualitates autem *animae* dicuntur *simpliciter* habitus» [2]. Etenim Philosophus ait: ἣν ἄν τις ἴσως ἕξιν ἤδη προσαγορεύοι [3]. Ubi ἴσως non videtur afficere ἕξιν, sed προσαγορεύοι, ita ut sensus sit: quam quis aequo, idest pleno iure habitum appellaverit. Quod si dicatur afficere directe ἕξιν, idem sequitur, nam tunc significat: quam quis nominabit habitum pleno sensu.

Unde vel ipsi fideliores thomistae coacti sunt admittere quod «*a talibus modis essendi potius quam a naturis rerum*, infirmus habitus dicatur dispositio et firma dispositio dicatur habitus *etiam ab ipso Aristotele*» [4]; et quod «*Philosophus* communiter attulit exempla secundum firmitatem vel facilitatem [=fragilitatem?] *ex parte status*» [5].

---

1 Aristoteles, *Categ.*, cap. 6, n. 4 (ed. cit., I, 13, 13-14). Idemque prorsus retinet in Metaphysica, ubi dicit: ἕξις λέγεται ἂν ᾖ μόριον διαθέσεως τοιαύτης (*IV Metaph.*, n. 2, ed. cit., II, 529, 17-18).

2 S. Thomas, *Summa theol.*, I-II, 50, 1, ad 2.

3 Aristoteles, *Categ.*, cap. 6, n. 4 (ed. cit., I, 13, 26-27).

4 Caietanus, O. P., *Commentaria in Praedicamenta Aristotelis*, cap. de Qualitate, fol. 200. Lugduni, 1560.

5 Joannes a S. Thoma, O. P., *Cursus Philosophicus*, Logica, II P., q. 18, a. 3, ed. cit., t. I, p. 617 b. 20-22.

Quae cum ita sint, concludendum videtur doctrinam de specifica differentia inter habitum et dispositionem non solum recedere a torrente peripateticorum, verum et ab ipso Aristotele; atque ideo dicendum est eam esse omnino propriam ac peculiarem Thomae.

4. *Sed iam alterum videre oportet, an scilicet haec nova S. Thomae doctrina in seipsa vera sit*, utpote ex amussim respondens ipsi rerum naturae.

Atque in antecesum notare iuvat hanc quaestionem non posse *sola* experientia determinari, quae modum tantum seu statum subiectivum dispositionis et habitus, idest firmum et solidum vel infirmum et imbecillum, per modum *facti* cuiusdam attingit, quin radicem eius et causam ideoque essentiam percipiat [1]: hoc enim muneris est unius *intellectus speculativi*, cuius proprium obiectum est *quod quid est* [2].

Atqui qualitatum primae speciei quaedam sunt *natura sua* firmae validaeque ac stabiles, dum e contra sunt aliae *natura sua* debiles ac infirmae et instabiles. Tale enim est specificatum ideoque species ipsa, quale est specificativum. Iam vero specificativum quarumdam qualitatum primae speciei, ut intellectus et sapientiae et scientiae, est inmmobile, necessarium semperque eodem modo se habens; quia proprium et formale obiectum, a quo huiusmodi qualitates specificantur, est quid fixum et stans et necessarium: aliarum vero, sicut opinionis et fidei humanae, specificativum proprium est contingens, instabile, infirmum [3]. Quaedam igitur qualitates

---

1 Absit ut experientiam hac in re, sicut nec in aliis, negligamus aut contemnamus. Verumtamen sub experientia non cadit ipsa essentia habitus, sed actus eius tantum et modus quo agit, nempe prompte, faciliter, delectabiliter, uniformiter, quae sunt signa generati habitus in subiecto agente, ideoque *exsistentiae* eius in anima, iuxta illud S. Thomae: «aliquis *percipit* se habere habitum per hoc, quod *percipit* se producere actum proprium habitus» (*Summa theol.*, I, 87, 2c. Cf. etiam *III Sent.*, d. 23, 1, 2; *De Veritate*, 10, 9).

2 S. Thomas, *In III Sent.*, d. 23, 1, 2 c., ed. Moos, O. P., n. 37; *Summa theol.*, II-II, 8, 1 c.

3 S. Thomas, *In III Sent.*, d. 23, 2, 2 qla. 1; *De Verit.*, 14, 1; *Summa theol.*, I-II, 51, 3; 57, 2-6; II-II, 2, 1; 47 per totum; *De Virtutibus in*

primae speciei sunt *natura sua habitus*, hoc est, firmae, stabiles, permanentes; aliae autem sunt *natura sua merae dispositiones*, idest invalidae, instabiles, infirmae.

Licet ergo, *quantum ad impositionem nominis*, sit habitus primo dictus *ex modo et de modo seu statu* firmo et permanenti, quo qualitas primae speciei afficit subiectum; tamen, *quantum ad rem et rationem nominis*, habitus proprie et formaliter dicitur de sola qualitate primae speciei cui *ex propria natura* debetur esse fixum et stabile, utpote specificatum ex termino seu obiecto formali necessario et permanenti. Neque ideo damnandus est usus communis vocandi habitus qualitates primae speciei *de facto* firmas et stabiles, quem non solum Aristoteles, sed et ipse Thomas sequitur, illius effati memor: *loquendum ut plures, cogitandum ut pauci*[1].

5. At est insuper considerandum, quod tam permanentia seu stabilitas habitus quam instabilitas seu mutabilitas dispositionis *non stant in aliquo indivisibili*, sed latitudinem magnam suscipere valent. Multis siquidem modis dicitur necessarium, sicut et causa, ad quam sequitur[2]; ac similiter contingens et instabile, quod necessario opponitur: nam quot modis dicitur unum oppositum, et aliud. Et sic videmus, quod maior est immobilitas et vigor in habitu intellectus quam in habitu sapientiae, et in hoc potior quam in habitu scientiae, quae rursus variatur secundum diversam firmitatem medii formalis ex quo demonstrationem accipit[3]: videmus pari-

communi, 12. Cf. etiam *in VI Ethic. Nicom*; lect. 3-4, ed. Pirotta, O. P., nn. 1143-1174; *in I Post. Analyticorum*, lect. 44, nn. 1-11.

[1] Revera S. Thomas, etiam post propositionem sententiae suae novae (*Summa theol.*, I-II, 49, 2, ad 3), loquitur quandoque ut plures, sicut antea, prout videre est ex una parte in *II Sent.*, d. 24, 3, 6, ad 6; *de Malo*, 7, 3, ad 4; et 6, ad 5; ex alia vero in *Summa theol.*, I-II, 74, 4, ad 3, ac praesertim 88, 4, ad 4, ubi scribit: «dispositio, quae *fit* habitus, est sicut imperfectum *in eadem specie*, sicut imperfecta *scientia*, dum perficitur, *fit* habitus». Id quod, iuxta doctrinam propositam in tractatu de Habitibus, solum verificatur de *statu* habituali scientiae, non de *ipsa essentia* habitus, quae *uno* actu demonstrationis generatur (I-II, 51, 3).

[2] Cf. *Summa theol.*, I, 82, 1 c.

[3] Cf. *De Verit.*, 16, 2; *Summa theol.*, I-II, 57, 2; 66, 5; 74, 7; *in librum Boetii de Trinitate*, q. 5-6.

ter, quod maior est instabilitas et fluxus in dispositionibus corporalibus, ob continuam mutabilitatem corporalium causarum, quam in dispositionibus animae, quae iterum diversificantur pro diversa instabilitate seu contingentia medii seu obiecti proprii, sicut debilior est et infirmior causa seu motivum suspicionis quam opinionis huiusque quam fidei humanae proprie dictae[1].

6. Quod si ex ordine speculativo descendimus ad *practicum actionum humanarum ordinis naturalis*, talis est medii et obiecti instabilitas et contingentia, nempe medii rationis ponendi in passionibus et operationibus humanis liberis, et quidem reduplicative ut singulares et individuae sunt, ut rationem habitus induant potius ex modo seu statu afficiendi subiectum quam ex propria ratione formali obiectiva, quae est contingens liberum ut reduplicative contingens et instabile est[2]. Unde et habitus morales qui dicuntur, ut prudentia et virtutes mere morales appetitus, non sunt nati produci quoad essentiam suam uno solo actu ex vigore formalis obiecti, sed pluribus[3] —qua de causa, sunt habitus essentialiter *consuetudinales*, hoc est, sola consuetudine seu repetitione actuum naturaliter acquisibiles et amissibiles[4]—, cum eorum non sint certae ac determinatae viae universales procedendi[5]: quo fit ut, si eorum nuda essentia consideretur per comparationem ad formale obiectum, potius quam habitus presse dicti deberent appellari dispositiones, sicut ipse habitus opinativus. Et propter hoc, S. Thomas in eadem linea ponit opinionem et vitia et

[1] Cf. *Summa theol.*, II-II, 2, 1; *in VI Ethic. Nicom.*, lect. 3, ed. cit., n. 1143; *in I Sent.* prol., 1, 3, qla. 3; *III Sent.*, d. 23, 2, 2, qla. 3, ad 1, ed. cit., n. 159, et exp. textus, n. 301; *De Verit.*, 4, 2; *Summa theol.*, II-II, 129, 6.

[2] Cf. *Summa theol.*, I-II, 57, 4, ad 2; II-II, 47, 2, ad 3; *in VI Ethic. Nicom.*, lect. 3, ed. cit., n. 1152.

[3] S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 17, 2, 3, ad 4; *Summa theol.*, I-II, 51, 3; II-II, 1, 5, ad 4.

[4] *Summa theol.*, I-II, 53, 3; 63, 2, ad 2; 71, 4; 73, 1, ad 2; II-II, 47, 16.

[5] Cf. *Summa theol.*, I-II, 57, 5, 63, 1-2; II-II, 47, 2, ad 3; 4, ad 2.

virtutes morales *naturales*, quantum ad earum generationem seu acquisitionem. Ita enim scribit: «omnis habitus de ratione sua habet quod sit difficile mobilis, idest habet firmitatem quandam [saltem quoad modum habendi]; unde quando una actio animae *habet firmitatem*, inducit habitum, sicut patet quod una demonstratio propter sui certitudinem et firmitatem facit habitum scientiae; quando autem unus actus *non habet firmitatem*, non sufficit unus, sed oportet quod sint *plures*. Unde ex uno argumento dialectico non generatur *opinio*, sed ex *pluribus* congregatis. *Ita etiam*, quia actus voluntatis humanae *non habet firmitatem*, cum voluntas indeterminate se habeat ad multa, habitus virtutum *politicarum*, qui acquiruntur per actus voluntatis, *non possunt acquiri per unum actum tantum, sed oportet quod multi conveniant*» [1]. Hac ergo ratione, non est in eis *realiter* separabilis neque distinguibilis substantia habitus et modus seu status habitualis, cum eorum essentia, *ut habitus*, non sit aliud a modo seu statu habituali: id, quod non satis considerasse videntur nonnulli recentiores scribentes ac disputantes de philosophia christiana, quam vocant [2].

7. *Secus autem est, si de virtutibus moralibus infusis* loquamur, quae *uno solo actu* Dei infundentis producuntur quantum ad *essentiam* suam [3], et firmam causam habent *ut infusae* sunt ex gratia sanctificante unde dimanant et ex caritate qua informantur et moventur, licet nondum habeant *statum seu modum habitualem* in proprio subiecto ob eius positivam indispositionem ex peccatis praeteritis relictam, quae *pluribus actibus* vir-

---

[1] S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 17, 2, 3, ad 4. Cf. *Summa theol.*, I-II, 51, 3.

[2] Ita praesertim J. MARITAIN, *De la philosophie chrétienne*, Paris, 1933; *Science et Sagesse*, Paris, 1935.

[3] S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 17, 2, 3, ad 4: «habitus autem caritatis non habet *firmitatem* per actum animae, sed a causa sua, quae Deus est; et ideo *unus* actus voluntatis potest sufficere ad hoc, quod caritas infundatur: et similiter ad hoc, quod augeatur».

tutis contrariae tollenda est et modus habitualis virtutis assequendus. Ut enim profunde scribit S. Thomas, «*facilitas* operandi opera virtutum potest esse ex duobus, scilicet *ex consuetudine* praecedente, et hanc facilitatem *non* tribuit virtus *infusa statim in sui principio*; et iterum *ex forti inhaesione ad obiectum* virtutis, et hanc est invenire in virtute *infusa statim in sui principio*» [1]. Et rursus: «cum habitus secundum se facit prompte et delectabiter operari, potest tamen hoc impediri per aliquid superveniens; sicut habitus scientiae interdum impeditur ad eius usum per somnolentiam vel ebrietatem vel aliquid huiusmodi. Sic ergo iste, qui paenitet, consequitur cum gratia gratum faciente caritatem et omnes alios habitus virtutum; sed, propter dispositiones [contrarias] ex actibus priorum peccatorum relictas, patitur difficultatem in exercitatione virtutum, quas habitualiter recipit: *quod non contingit in virtutibus acquisitis per exercitium actuum, per quos simul, et contrariae dispositiones tolluntur, et habitus virtutum generantur*» [quoad *essentiam* habitus et statum seu *modum* habitualem] [2].

In virtutibus ergo moralibus infusis tam perfecte distinguimus essentiam et modum habitus sicut in habitibus, qui, licet generentur quoad *essentiam* suam *uno* solo actu, quoad *modum* tamen seu statum habitualem, non solum in subiecto proprio et principali, quod est intellectus possibilis, sed etiam in subiecto adnexo et secundario, quod sunt sensus interiores, praesertim memoria et cogitativa, *pluribus* actibus repetitis indigent, eodem S. Thoma dicente: «quantum ad inferiores vires apprehensivas, necessarium est *eosdem actus pluries reiterari*, ut aliquid *firmiter* memoriae imprimatur» [3].

---

[1] S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 14, 2, 2, ad 5. Cf. *ibid.*, ad 4, et *Summa theol.*, III, 86, 5.

[2] S. THOMAS, *Quaestio disp. de virtutibus Cardinalibus*, 2, ad 2.

[3] *Summa theol.*, I-II, 51, 3. Et alibi subiungit: «iuvenes sapientialia quidem, scilicet *metaphysicalia* non credunt, idest non attingunt *mente*, licet dicant *ore*»; nam «ad illa, quae excedunt sensum et imaginationem non attingunt *mente, quia nondum habent intellectum*

Et haec videtur fuisse *ratio ultima* novae doctrinae S. Thomae qui, ut theologus, ad omnes prorsus virtutes *infusas*, quas directe et formaliter considerabat, extendit doctrinam philosophicam de virtutibus intellectualibus speculativis naturalibus *ut sunt habitus*, sicque altiorem ac profundiorem synthesim complevit. Nec enim tractatus generalis de habitibus, prout in Summa theologica invenitur (I-II, qq. 49-54), est mere philosophicus, sed fine et intentione theologicus et a Theologia imperatus.

8. Itaque dicendum est novam Thomae doctrinam esse universaliter ac simpliciter veram *theologice*, hoc est, respectu omnium omnino habituum supernaturalium seu infusorum; *philosophice* autem esse veram respectu habituum intellectualium *speculativorum*, in quibus essentia et modus habitus plene ac perfecte distinguuntur; at, respectu habituum moralium *acquisitorum*, ut sunt quatuor virtutes cardinales cum suis partibus subiectivis, integralibus et potentialibus, non plene verificatur, cum sint essentialiter habitus *consuetudinales*, idest quorum *tota essentia est modus seu status habitualis consuetudine operandi acquisitus*; de his enim dicendum est quod dispositio *fit* habitus, cum de *statu* dispositionis *transit*, iteratis actibus, in *statum* habitus. Quod quidem, ni multum me fallit opinio, clarissime tradidit ipse S. Thomas hisce, verbis: «videmus *in intellectualibus*, quod per *unam* demonstrationem, quae est *efficax*, causatur in nobis scientia; *opinio* autem, licet sit *minor* scientia, non causatur in nobis per unum syllogismum dialecticum, sed requiruntur *plures*, propter eorum *debilitatem*.

exercitatum ad tales considerationes, tum propter parvitatem temporis, tum propter plurimas mutationes naturae» (*In VI Ethic. Nicom.*, lect. 7, ed. cit., n. 1210). Ideo ergo, quando pueri metaphysicas veritates «primo addiscunt..., coniungunt *sermones*, quos *ore* proferunt, sed nondum eos sciunt, ita scilicet quod *mente* intelligant: ad hoc enim requiritur quod illa, quae homo audit, fiant ei *quasi connaturalia, propter perfectam impressionem ipsorum in intellectum*; ad quod homo indiget tempore, in quo intellectus, *per multiplices meditationes, firmetur* in eo quod accepit» (*In VII Ethic. Nicom.*, lect. 3, n. 1344).

Unde et in agibilibus [=moralibus), *quia* operationes animae *non sunt efficaces* sicut in demonstrationibus, propter hoc quod agibilia sunt *contingentia et probabilia*, *ideo unus* actus *non sufficit* ad causandum virtutem, *sed requiruntur plures*; et, licet illi plures non sint simul, tamen *habitum* virtutis causare possunt; quia *primus* actus facit *aliquam* dispositionem, et *secundus* actus, inveniens materiam dispositam, adhuc eam *magis disponit*, et *tertius adhuc amplius*, et sic *ultimus* actus, agens in virtute omnium praecedentium, complet generationem *habitus*, sicut accidit de multis guttis cavantibus lapidem»[1].

Sicut ergo peccant, qui uniformiter seu univoce in omnibus scientiis speculativis procedere nituntur[2], ita etiam peccant, qui univoce seu uniformiter concipiunt rationem habitus in omni virtutum genere: intellectualibus quidem speculativis et infusis omnibus, ut reduplicative infusae sunt, convenit perfecta ratio habitus *ex se*, neque unquam in eis fieri potest transitus formalis a dispositione ad habitum et vicissim; moralibus vero *acquisitis* convenit solum *ratione status seu modi* essendi in subiecto, hoc est, per posterius, sicut et vitio et opinioni et fidei humanae, quibus tamen imperfectiori convenit modo. Nec enim virtutes *morales acquisitae* abstrahere possunt a *consuetudine*, quin eo ipso amittant *essentiam et speciem* suam. Quod utinam non fuisset oblivioni traditum, et a theologis, et a philosophis christianis. Sed de his hactenus.

[1] S. THOMAS, *Quaestio disp. de Virtutibus in communi*, 9, ad 11. Cf. etiam *Summa theol.*, II-II, 24, 6, ad 2.
[2] S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate*, q. 6, a. 2 c. in fine.

II. DE SUBIECTO VIRTUTUM CARDINALIUM APUD PHILOSOPHOS, PATRES ET SCHOLASTICOS

§ I

APUD PHILOSOPHOS ET PATRES

PRUDENTIA est habitus:

I) *cognoscitivus* et quidem rationis:

A) generice sumptae secundum functionem:

a) praecipue speculativam: Plato, Aristoteles iunior, neoplatonici.

b) praecipue practicam: Socrates, Stoici, Neoplatonici, Philo, Patres Ecclesiae.

B) specificae sumptae ut est ratio:

a) non speculativa (=scientifica), sed

b) practica (=consiliativa): Aristoteles senior, Peripatetici, Plutarchus.

II) *appetitivus*, et quidem voluntatis: Augustinus (?).

IUSTITIA est habitus:

I) *omnium* partium vel potentiarum animae, scilicet:

A) Οικειοπραγια:

a) singulorum: Plato, neoplatonici (=iustitia civilis).

- b) singulorum quantum ad regere et regi: neoplatonici.
- B) concordia:
  - a) partium animae quoad regere et regi: Philo.
  - b) omnium virtutum omnium partium animae: S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Beda.

II) *unius* partis vel potentiae:

- A) cognoscitivae:
  - a) «visibilis»: Ambrosius.
  - b) invisibilis:
    - 1) rationis: Socrates, Stoici veteres, Cicero, Seneca, Neoplatonici.
    - 2) intellectus: Neoplatonici.
- B) appetitivae:
  - a) superioris seu voluntatis: Aristoteles (?), S. Augustinus.
  - b) inferioris (=irascibilis): Possidonius.

FORTITUDO est habitus:

I) *cognoscitivus* et quidem.

- A) rationis:
  - a) scientia timendorum et non timendorum: Socrates, Plato iunior, Stoici veteres, Tullius, Seneca, Philo.
  - b) tanta vis rationis ut indifferens maneat circa pericula mortis (=fortitudo purgati animi): Neoplatonici.
- B) intellectus: perfecta apathia (=fortitudo purgati animi): Neoplatonici.

II) *appetitivus* et quidem irascibilis relate ad passiones:

- A) concupiscibilis: Plato senior.
- B) proprias irascibilis, scilicet circa timores et audacias:
  - a) in genere: Possidenius, Philo, Platonici et neoplatonici (=fortitudo civilis).
  - b) in specie quoad:

- 1) pericula mortis in bello: Aristoteles.
- 2) honores et divitias: Isidorus.

TEMPERANTIA est habitus:

I) *plurium* potentiarum:

- A) omnium:
  - a) harmonia virium circa regere et regi: Plato senior.
  - b) moderatio omnium: S. Ambrosius, S. Isidorus.
- B) non omnium, sed concupiscibilis et rationalis: Neoplatonici quoad temperantiam civilem.

II) *unius* potentiae tantum:

- A) cognoscitivae scilicet:
  - a) rationis:
    - 1) scientia: Socrates, Plato iunior, Stoci veteres, Tullius, Seneca.
    - 2) imperturbabilitas eius per passiones (temperantia purgati animi): Neoplatonici.
  - b) intellectus (=temperantia purgati animi): Neoplatonici.
- B) appetitivae concupiscibilis:
  - a) inferioris: circa passiones concupsicibilis:
    - 1) in genere: Academici, Possidonius, Philo, Patres.
    - 2) in specie: vehementissimas gustus et tactus: Aristoteles et peripatetici.
  - b) superioris seu voluntatis: amor Dei: S. Augustinus.

§ II

APUD ANTIQUOS SCHOLASTICOS

PRUDENTIA est in vi:

I) *cognoscitiva*:
A) sensitiva.
B) rationali:
a) indistincte sumpta: Radulphus Ardens, Richardus de Leicerta, Stephanus de Languetona, Godofridus Pictaviensis.
b) distincte sumpta ut est:
1) speculativa: Alcuinus, Habitgarus, Rhabanus Maurus, Abaelardus, Magister Hermannus.
2) practica seu ordinata ad opus:
α) pars liberi arbitrii secundum actum:
— discretionis: R. a S. Victore, Hugo a S. Caro, Philippus Cancellarius, S. Albertus Magnus, Odo Rigaud, S. Bonaventura.
— imperii: Guilielmus Alvernus.
β) subordinata libero arbitrio: Hugo a S. Caro, Alexander Halensis.

II) *affectiva*:
A) superiori seu voluntate:
a) liberum arbitrium: Guilielmus de Melitona, Alexander Halensis, S. Bonaventura.
b) principium affectuum: Hugo a S. Victore, Richardus Fisacre, Robertus Kilwardby.
B) inferiori:
a) concupiscibili: amor prudenter ordinatus: Isaac de Stella, Alcherus Claravallensis.
b) irascibili. Odium prudenter ordinatum: Isaac de Stella, Alcherus Claravallensis.

IUSTITIA est in:

I) *una* vi:
A) ratio:
a) sine speciali designatione: Alcuinus, Rhabanus.
b) specialiter ut est:
1) cognitiva (=discretiva): Staphanus Langton (?), Radulphus Ardens.
2) motiva: Godofridus Pictaviensis, Philippus Chancellarius, Alexander Halensis.

B) affectus:
a) superior: voluntas:
1) liberum arbitrium: Hugo a S. Caro, Guilielmus de Melitona, Alexander Halensis.
2) principium affectuum: S. Anselmus, Abaelardus, Magister Hermannus, Hugo a S. Victore, Richardus Fishacre, Robertus Kilwardby.
b) inferior:
1) concupiscibilis:
α) simpliciter: Ioannes a Rupella.
β) ut principium amoris iuste ordinati: Isaac de Stella, Alcherus Claravallensis.
2) irascibilis ut est principum odii iuste ordinati: iidem.

II) *pluribus* simul:
A) tribus: ratione, concupiscibili et irascibili:
a) indeterminate: Richardus de Leicester, Glossa ordinaria.
b) in omnibus:
1) simpliciter: habitus entitativus resultans ex tribus aliis virtutibus: Richardus a S. Victore.
2) secundum quid:

α) secundum species diversas: Guilielmus Altissiodorensis, S. Bonaventura, Alexander Halensis.
β) secundum imperium: Staphanus Langton (?), Godofridus Pictaviensis, Guilielmus Alvernus, Philippus Chancellarius, S. Bonaventura.

B) in duobus viribus, scilicet concupiscibili et irascibili: Guilielmus Parisiensis posterior.

FORTITUDO est in:

I) *una* vi:
A) ratio: Alcuinus, Rhabanus Maurus, Rodulphus Ardens.
B) affectus:
a) voluntas:
1) simpliciter: Abaelardus, Richardus Fishacre.
2) liberum arbitrium: Hugo a S. Caro, Ioannes Rupensis, Guilielmus de Melitona, Alexander Halensis.
3) principium affectuum: Hugo a S. Victore, Robertus Kilwardby.
b) irascibilis:
1) sensitiva: Richardus Leicester, Staphanus de Langton, Guilielmus Altissiodorensis, Philippus Chacellarius, S. Albertus Magnus, Udalricus de Argentina, Ioannes de Rupella, Odo Rigaud (?).
2) sensitiva et rationalis, quae idem sunt: Rolandus Cremonensis.
3) rationalis: S. Bonaventura, Alexander Halensis.

II) *pluribus* viribus secundum diversas species et functiones: Guilielmus Parisiensis.

TEMPERATIA est in:

I) *una* vi:
A) ratio: Alcuinus, Rhabanus Maurus, Radulphus Ardens.
B) affectus:
a) voluntas:
1) simpliciter: Abaelardus, Richardus Fishacre.
2) liberum arbitrium: Hugo a S. Caro, Rupellensis, S. Bonaventura.
3) principium affectuum: Hugo a S. Victore, Robertus Kilwardby.
b) concupiscibilis:
1) sensitiva: Richardus Leicester, Stephanus de Langton, Guilielmus Alvernus, Philippus Chancellarius, S. Albertus Magnus, Udalricus, Ioannes a Rupella, Odo Rigaud (?).
2) sensitiva et rationalis simul: Rolandus Cremonensis.
3) rationalis: Guilielmus Parisiensis, S. Bonaventura, Alexander Halensis.

II) *pluribus* simul:
A) omnibus: Paschasius Radbertus (?), Thomas Bercellensis.
B) irascibili et concupiscibili: Isaac de Stella, Alcherus Claravallensis, Alcuinus, Rhabanus Maurus.

III. DE CAUSALITATE ACTUUM VIRTUTIS INFUSAE ERGA NOVOS HABITUS GENERANDOS VEL GENERATOS AUGENDOS

(Ultima expositio auctoris in I-II, q. 51, a. 4 ad 3)

§ I

PRAENOTAMEN

1. *Actus habitus infusi* possunt esse:

   A) *eliciti*, proprii, specifici: supernaturales quoad substantiam.

   B) *imperati*, appropriati, infraspecifici:

      a) *supernaturales*: eliciti ab alio habitu infuso inferiori imperato, v. gr.:

         1) a ceteris virtutibus infusis sub imperio caritatis;

         2) a ceteris virtutibus mere moralibus sub imperio prudentiae infusae;

         3) a ceteris donis Spiritus Sancti sub imperio prudentiae infusae;

      b) *naturales*: eliciti a:

         1) quacumque virtute acquisita seu naturali sub imperio virtutis infusae imperantis, si iam illa adsit in eodem subiecto.

         2) a nuda potentia naturali sine ulla virtute acquisita, si nondum aliqua sit, sub imperio virtutis infusae imperantis.

§ II

CONCLUSIONES

2. CONCLUSIO PRIMA: *Nulla virtus infusa per proprios actus elicitos causat novum habitum.*

Probatur. Si per hos actus causaret novum habitum, hic necessario deberet esse: aut supernaturalis seu eiusdem speciei atomae, aut naturalis seu diversae speciei atomae, immo et diversi generis, quia habitus adaequate et immediate dividitur in naturalem et supernaturalem. Atqui neutrum dici potest...

3. a) *Non potest causare habitum supernaturalem seu eiusdem speciei atomae.* Quod quidem patet duplici demonstratione: alia *quia*, ex lege *universali omnis habitus*; alia *propter quid*, ex lege *propria* et *speciali* habitus infusi seu supernaturalis.

4. *Argumentum quia*: Quod convenit omni habitui operativo in quantum huiusmodi, convenit habitui operativo infuso qui est virtus infusa; nam quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento. Atqui omni habitui operativo qua tali convenit non posse generare per proprios actus elicitos novum habitum eiusdem speciei atomae in eodem subiecto *quo*. Ergo et omni habitui operativo infuso convenit non posse generare per proprios actus elicitos novum habitum eiusdem speciei atomae in eodem subiecto *quo*, nimirum habitum novum supernaturalem.

Minor constat: *Primo* quidem *ostensive*, considerando habitum operativum tum *reduplicative* ut *habitum* seu qualitatem, tum *specificative* ut *accidens*.

Ut habitum seu qualitatem, quae est *forma* quaedam accidentaliis. Impossibile est duas numero formas eiusdem speciei atomae, nempe eiusdem generis et ordinis informare et actuare simul idem numero subiectum *quo*, quod se habet ad illas ut propria materia vel potentia ad propriam formam vel actum, sicut universaliter im-

possibile est duas numero causas eiusdem generis et ordinis esse simul unius numero effectus. Atqui si habitus operativus generaret per proprios actus elicitos novum habitum supernaturalem in eodem subiecto *quo*, duae formae numero eiusdem speciei atomae, idest eiusdem generis et ordinis, informarent et actuarent simul idem numero subiectum *quo*, nimirum eandem numero potentiam operativam susceptivam habitus. Nam habitus generans est unus habitus numero; habitus item generatus est alius numero habitus. Est autem habitus forma quaedam accidentalis actuans et informans propriam potentiam operativam *cuius* est et *in qua* est sicut in subiecto proprio *quo*: quod, per definitionem, manet *unum numero*. Nisi quis dicat habitum per proprios actus elicitos causare *novam potentiam* una cum novo habitu, quod perabsurdum est, quia habitus non est productivus potentiae, nam haec est *naturalis* potentia, non acquisita propriis actibus, et insuper est *alterius speciei* qualitatis.

Similiter ut accidens. Impossibile est dari duo numero individua sine duplici numero principio individuationis, quia principium individuationis se habet ad individuum ex eo individuatum sicut propria causa ad proprium effectum. Atqui si habitus operativus per proprios actus elicitos generaret novum habitum eiusdem speciei atomae in eodem subiecto *quo*, duo numero individua eiusdemmet speciei essent sine duplici principio individuationis.

Etenim habitus est accidens; accidens autem individuatur ex proprio subiecto *quo cuius* est et *in quo* est. Habitus ergo operativus individuatur ex propria potentia *cuius* est et *in qua* est sicut in proprio subiecto *quo*. Iam vero haec potentia, per definitionem, manet una et eadem numero. Habitus e contra essent saltem duo numero: unus generans, alius genitus. Haberentur ergo duo numero individua eiusdem speciei atomae cum uno numero principio individuationis, quasi duplex numero effectus formalis primarius cum una numero causa formali, nam individuatio, cum pertineat ad ordinem essendi,

reducitur ad genus causae formalis et materialis quae ad invicem sunt causae in diverso genere; et necessario relatione transcendentali sibi mutuo correspondent in esse et unitate quae convertitur cum ente.

Secundo constat Minor ex absurdo inde necessario consequenti. Si enim habitus operativus per proprios actus elicitos causaret novum habitum eiusdem speciei atomae, habitus ille non solum produceret unum habitum numero, nempe secundum, sed etiam tertium et quartum et infinitos, sicut potest infinitos actus elicere.

Insuper unusquilibet habitus sic productus posset et ipse per suos actus novos, et novos habitus causare eiusdem speciei atomae: et sic habitus omnes eiusdem speciei atomae essent in qualibet potentia infiniti numero, et tunc in unoquoque essent infinitae numero scientiae eiusdem speciei, puta theologiae sacrae, et infinitae numero virtutes eiusdem item speciei tam infusae quam acquisitae: infinitae ergo caritates et infinitae spes et infinitae fides, et sic de aliis. Quod absurdum plane est: ac *insuper* in infinitum multiplicaretur impossibilitas supra dicta ex ratione habitus et ex ratione entis.

Quod quidem argumentum uno verbo tetigerat S. Thomas, hanc universalem legem habitus operativi digito quasi demonstrans in genere habitus acquisiti nobis naturaliter cogniti, cum ait: «actus virtutis *infusae* (proprii seu eliciti) non causant aliquem habitum..., *quia neque* ex actibus virtutis *acquisitae* aliquis habitus generatur; *alias multiplicarentur habitus in infinitum*» (S. THOMAS, *De Virtutibus*, q. 1, a. 10, ad 19).

5. *Argumentum propter quid.* Habitus infusus non potest producere per solos actus proprios et elicitos habitum non producibilem per actus creaturae principaliter operantis, quia nulla causa potest facere effectum qui non potest fieri. Atqui habitus supernaturalis quoad substantiam non potest fieri ex propriis actibus habitus infusi, quia secus esset, per definitionem, habitus acquisitus vel acquisibilis per proprios actus, saltem supernaturales; simul tamen esset, per definitionem, habitus

infusus, cum esset supernaturalis quoad substantiam et eiusdem speciei atomae ac infusus generans.

Qua de causa, habitus theologiae sacrae, quae virtute fidei causatur ex nostris propriis actibus, non est formaliter supernaturalis, sed solum virtualiter seu radicaliter. Habitus ergo supernaturalis quoad substantiam est inacquisibilis propriis actibus.

6. b) *Neque habitum naturalem seu alterius speciei, immo et generis.* Habitus enim convenientes in eadem ratione formali obiecti motivi quoad specificationem non sunt diversae speciei, sed unius eiusdemque. Atqui habitus producibilis solis actibus supernaturalibus quoad substantiam convenit cum illis actibus in eadem ratione formali obiecti motivi quoad specificationem, quia se habet ad eos ut proprius effectus ad propriam causam efficientem. Unde quando producitur habitus theologiae sacrae, concurrit etiam actus naturalis, sicut quando ex intellectu causatur scientia vel sapientia concurrit actus discursivus et non solus actus intellectus. Est ergo *lex generalis omnis* habitus quod, quando non exercet nisi proprios actus elicitos seu specificos, non causat alium habitum superiorem, neque inferiorem.

Eo vel magis quod causa habitus est movens subiectum eius per se primo *quoad specificationem* et nonnisi per se secundo et ut stat sub motione quoad specificationem movet ipsum quoad exercitium.

Dicere ergo quod actus eliciti habitus infusi causant habitum naturalem est adeo absurdum sicut asserere actus elicitos scientiae producere habitum opinionis vel fidei humanae.

7. CONCLUSIO SECUNDA: *Nulla virtus infusa per actus imperatos supernaturales causat novum habitum, sicut neque per actus imperatos naturales exercitos seu elicitos per virtutem acquisitam.*

8. *Probatur.* Ratio est quia actus supernaturales imperati a virtute altiori infusa sunt actus proprii et eliciti virtutis infusae imperatae; ac similiter actus naturales

imperati, quando eliciuntur a virtute acquisita, sunt proprii et specifici actus huius virtutis. Ita ergo se habent actus eliciti virtutis imperatae naturalis vel supernaturalis ad generandam novam virtutem, sicut actus eliciti virtutis infusae imperantis ad producendum novum habitum. Atqui actus eliciti virtutis infusae imperantis non possunt generare novum habitum. Redit ergo lex generalis causandi novum habitum in eodem subiecto *quo* per solos proprios et elicitos actus habitus praeexsistentis in eadem potentia.

9. CONCLUSIO TERTIA: *Virtus infusa potest causare novum habitum naturalem per actus imperatos nudae potentiae operativae nullam habentis virtutem acquisitam.*

10. *Probatur*. Ratio est quia nulla est ratio impossibilitatis huiusmodi. Si enim aliqua esset, necessario deberet provenire aut ex inefficacitate horum actuum imperatorum, aut ex improductibilitate habitus generandi, aut ex ininformabilitate proprii subiecti *quo* habitus a tali habitu, nimirum aut ex parte causae, aut ex parte sui, aut ex parte subiecti. Atqui ex nulla parte contingit.

Non ex parte causae seu actus naturalis imperati. Quia isti actus ut imperati a virtute supernaturali non sunt minoris efficacitatis quam ut sunt nudae potentiae naturalis sine tali imperio, quin potius multo maioris efficacitatis, et firmitatis sunt, quia illud imperium non destruit eos, sed potius elevat et perficit. Atqui ut pure naturales seu non imperati possunt causare habitum acquisitum, ut patet in generatione habitus ex propriis actibus potentiae naturalis (S. Thomas, I-II, 51, 2-3). Ergo a fortiori causare possunt eundem effectum ut imperati et moti ex supernaturali habitu.

Neque ex parte sui, quia habitus naturalis est producibilis seu acquisibilis per causam naturalem, nam sicut habitui supernaturali quoad substantiam repugnat esse acquisitus seu productus per actus nostros, ita habitui naturali seu acquisito convenit esse acquisibilis per proprios actus subiecti.

Neque ex parte subiecti quo, quia, cum non sit informatum alio habitu eiusdem speciei atomae, est in potentia ad recipiendum habitum illum generandum.

Et inde est quod in statu naturae lapsae, in qua, ob vulnera peccati originalis, non possunt plene et perfecte acquiri virtutes morales ut essent acquisibiles in statu naturae purae vel integrae, per solas vires naturales, acquiruntur plene et perfecte per illas vires ut imperatas et motas per virtutes infusas, maxime cum per longum tempus exercitae sunt et quidem vita ferventi. Unde, cum advenit peccatum mortale, licet amittatur virtus infusa imperans, manet virtus naturalis acquisita plerumque valde firma et diuturna.

11. CONCLUSIO QUARTA: *Actus eliciti virtutis infusae augent et roborant propriam virtutem a qua eliciuntur; similiter actus imperati supernaturales virtutem infusam imperatam; itemque actus imperati naturales virtutem acquisitam imperatam.*

12. *Probatur*. Ratio est quia omnes isti actus et virtutes conveniunt proportionaliter in suo genere. Atqui unaquaeque virtus augetur et roboratur per proprios actus; haec enim est lex generalis omnis habitus. Si enim non augerent habitum, nihil causarent.

Differenter tamen pro infusis et acquisitis. Nam actus infusarum augent solum meritorie et physice dispositive; acquisitarum vero physice perfective, ut patebit quaestione sequenti.

13. Itaque tota quaestio haec resolvitur in legem universalem efficacitatis omnis habitus quoad negationem generationis novi habitus et quoad affirmationem augmenti habitus praeexsistentis. Propter quod S. Thomas hanc legem universalem habitus expressit dicens: «actus qui producuntur ex habitu infuso non causant aliquem habitum, sed confirmant habitum praexsistentem» (S. THOMAS, I-II, 51, 4 ad 3), «sicut in eo qui habet habitum temperantiae acquisitae, ex actibus ipse habitus augmentatur» (S. THOMAS, *De Veritate*, q. 17, a. 14 in con-

trarium). Et sic tollitur oppositio inter leges naturae et gratiae —quae latebat in De Veritate—, completa synthesi altiori unitatis analogae seu proportionalis.

14. At est insuper notandum quod *istud augmentum habitus non est confundendum cum productione modi habitualis eius.*

Nam *in virtutibus moralibus acquisitis,* augmentum venit post modum habitualem et est ab eo separabile. Etenim augmentum virtutum acquisitarum venit post earum acquisitionem et potest non esse, virtute manente; e contra, modus habitualis non est in eis realiter separabilis neque distinguibilis ab earum essentia, cum tota earum essentia consistat in molo illo connaturalitatis. Augmentum ergo harum virtutum supponit modum habitualem, quem auget augendo ipsam virtutem.

15. *In virtutibus autem infusis et in habitibus intellectualibus speculativis,* in quibus essentia habitus et modus habitualis est realiter distinctus et realiter separabilis, productio modi habitualis reducitur ad augmentum ut pars integralis ad totum, nam modus iste habitualis est augmentum intensivum habitus per comparationem ad subiectum, ultra quod et principaliter datur augmentum intensivum per comparationem ad obiectum eius, ut patebit quaestione sequenti. Unde et post statum habitualem possunt habitus in infinitum crescere.

16. Denique *modus habitualis virtutis infusae imperantis itemque augmentum eius non sunt confundendi cum habitu naturali acquisito ex actibus imperatis naturalibus eius.*

Primo quidem, quia sunt res realiter separabiles, nam potest dari modus habitualis et augmentum illud sine habitu naturali acquisito ex illis actibus, si talis habitus iam praeexsistat; secundo, quia tam modus habitualis quam augmentum habitus infusi sunt essentialiter supernaturales, eo quod modus et augmentum habitus debent esse eiusdem rationis et ordinis ac habitus cuius sunt; dum, e contra, habitus ille acquisitus est naturalis quoad

essentiam vel substantiam suam. Quo fit ut verba S. Thomae in De Veritate, si intelligantur de productione talis habitus quasi modi habitualis habitus infusi, sustineri non possunt, sed dicenda sunt penitus retractata in operibus posterioribus.

17. Postremo apparet ex his quid dicendum sit *de explicationibus theologorum supra indicatis.* Vel enim reducuntur ad explicationem propositam, vel falsae sunt.

Reducuntur ad explicationem datam, si eminentia, virtualitas et supernaturalitas actus virtutis infusae intelligantur per modum imperantis; dum effectus et forma et vitalitas habitus naturalis producti intelliguntur in sua radice potentiae naturalis per modum imperati; ac similiter si concomitantia actus virtutis infusae et acquisitae intelligitur per modum imperantis et imperati seu per modum moventis et moti. Ac revera, possunt dici huius explicationis veluti adumbratio quaedam imperfecta.

Revera tamen in mente horum auctorum non invenitur talis conceptus; quia vel loquuntur de ipsis actibus elicitis, ut Molina, vel confundunt novum habitum cum modo habituali supernaturali aut certe cum substracto psychologico naturali, ut Lugo; vel negant subordinationem actus imperati et imperantis, ut auctores theoriae de concomitantia; vel denique concipiunt vitalitatem et supernaturalitatem actus eliciti virtutis infusae ut duas res respondentes duplici causae partiali, nempe naturae et gratiae, cum tamen sint una eademque producta a natura et gratia ut causis totalibus subordinatis, quia et supernaturalitas illa est vitalis et viva sicut et vita eius est supernaturalis.

IV. TRACTATUS DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI

(Ad quaestiones 55-67)

I. DEFINITIO:

A. *Nominalis*:
- a) etymologica
- b) vulgaris.

B. *Realis*:
- a) venatur ex quatuor causis, scilicet:
  - 1) ex parte causarum extrinsecarum, nempe:
    - α) finalis:
      - * pro homine tantum seu pro philosopho: finis naturalis hominis.
      - * pro homine christiano seu pro theologo: finis supernaturalis hominis.
    - β) efficientis:
      - * naturalis: homo acquirens.
      - * supernaturalis: Deus infundens.
  - 2) ex parte causarum intrinsecarum, nempe:
    - α) formalis (=obiectum formale):
      - * naturale-humanum-rationale.
      - * supernaturale-divinum.
    - β) materialis:
      - * *in qua*: homo ut homo:
        - ** secundum potentiam naturalem.
        - ** secundum potentiam obedientialem.

* *circa quam:*
** naturalis tantum.
** naturalis et praesertim supernaturalis.

b) datur:
1) pro singulis ordinibus:
α) pro naturali: habitus bene operativus boni naturalis.
β) pro supernaturali: habitus bene operativus boni supernaturalis.
2) ut sic: habitus bene operativus boni.

II. DIVISIO VIRTUTIS, QUAE EST:

A. *Naturalis*, acquisita, philisophica:
a) intellectualis:
1) speculativa:
α) intellectus,
β) scientia,
γ) sapientia.
2) practica:
α) prudentia,
β) ars.
b) moralis:
1) iustitia.
2) temperantia.
3) fortitudo.

B. *Supernaturalis*, infusa:
a) proprie dicta:
1) theologia.
2) moralis.
b) improprie vel reductive accepta:
1) per modum habitus: dona Spiritus Sancti.
2) per modum actus:
α) beatitudines,
β) fructus Spiritus Sancti.

III. GENESIS VIRTUTIS:

A. *Acquisitae actibus humanis:*
a) circa principia seu finem in intentione (seminalia virtutum):

1) ex parte intellectus: synderesis, quae est virtus intellectualis iudicativa principiorum moralium seu practicorum immediatorum seu per se notorum:
α) communis seu universalium, v. gr. bonum est faciendum, malum est vitandum...
β) proprii virtutis moralis: vivendum seu agendum est in omnibus secundum rationem.
2) ex parte voluntatis seu appetitus: tendentia vel inclinatio naturalis (inchoatio virtutis) ad:
α) finem vel bonum communem, hoc est ad felicitatem.
β) finem proprium seu ad bonum secundum rationem.

b) circa conclusiones seu media et finem in exequutione:
1) conclusiones universales tangentes intentionem et exequutionem: scientia:
α) ordinis naturalis: Ethica, subalternata Psychologiae.
β) ordinis supernauralis: Theologia Moralis, subalternata quasi materialiter Psychologiae, quasi formaliter Theologiae dogmaticae.
2) conclusiones particulares tangentes exequutionem seu finem in exequutione et media exequenda:
α) inquisitio seu inventio:
* ex parte rationis: consilium, actus prudentiae in fieri.
* ex parte voluntatis, consensus, complacentia seu sympathia, actus virtutis in fieri.
β) iudicium:
* formaliter vel quasi in actu signato:

** ex parte rationis: iudicium practico - practicum: conscientia, actus prudentiae in fieri.

** ex parte voluntatis: electio sequens illud iudicium, actus virtutis in fieri.

* effective seu efficienter vel quasi in actu exercito:

** ex parte rationis: imperium categoricum, actus prudentiae in facto esse.

** ex parte appetitus:

*** rationalis vel superioris: usus activus rectus.

*** inferioris sive concupiscibilis sive irascibilis: usus passivus activus rectus, actus virtutis moralis in facto esse.

B. *Infusae*:

a) *Notio* virtutis infusae:

1) nominalis:

α) etymologica: venit a infusione, et haec distinguitur a modo habendi aliquid:

* per naturam seu inditum vel innatum.

* per artem vel acquisitionem.

β) vulgaris: quae perficit hominem in ordine ad bonum supernaturale.

2) realis: habitus operativus boni supernaturalis.

b) *Divisio*: bonum supernaturale quod elicit et in ordine ad quod hominem perficit vel est:

1) ipse finis supernaturalis, qui revera est Deus ipse immediate: *virtutes theologicae* per antonomasim:

α) *Exsistentia*:

* praenotanda:

** ex parte subiecti: angelus vel homo, sive parvulus sive adultus.

** ex parte praedicati: virtus theologica, vel proprie dicta ut est habitus, vel large dicta ut etiam est actus et aliquid ad modum status permanentis.

* solutio:

** falsa:

*** ex parte subiecti pro parvulis: quidam theologi saeculi XII et XIV.

*** ex parte sui: naturalismus omnium temporum.

** vera et affirmativa, quae constat:

*** ex auctoritate Sacrae Scripturae, SS. Patrum et Conciliorum Ecclesiae.

** ex ratione theologica:

*** ostensive, tum *a priori*, quia datur finis supernaturalis, et virtus ponitur propter finem assequendum, tum *a posteriori* ex signo, quia datur praeceptum divinum de actibus huiusmodi virtutum (Denz. 1101).

*** ad absurdum, quia secus imperfectior esset ordo supernaturalis quam ordo naturalis.

β) *Essentia*: differunt essentialiter ab aliis virtutibus:

* a naturalibus seu acquisitis secundum quatuor causas.

* a moralibus supernaturalibus seu infusis, saltem secundum causam formalem et quodammodo etiam secundum materialem.

γ) *Divisio*: tres tantum:
 * sententia falsa lutherana: sola fides.
 * sententia vera constat:
  ** ex auctoritate Sacrae Scripturae, SS. Patrum et theologorum, et Conciliorum Ecclesiae.
  ** ex ratione theologica, tum argumento positivo, quia satis sunt, tum argumento negativo quia nulla alia adhiberi potest.

2) media supernaturalia ductiva ad Deum supernaturalem: virtutes theologicae late dictae, hoc est virtutes *morales infusae*:
 α) *exsistentia*:
  * sententia negativa: Scotus, Durandus, scotistae et alii nominales.
   ** a priori, tum quia non sunt possibiles ex causis earum, tum quia non sunt necessariae, quia satis per theologicas et morales acquisitas.
   ** a posteriori, quia earum nullum apparet signum in renatis; immo apparet signum contrarium in adultis conversis.
  * sententia affirmativa defenditur a ceteris theologis communiter:
   ** ex auctoritate Sacrae Scripturae, SS. Patrum, Ecclesiae et theologorum;
   ** ex ratione theologica, tum negative ex impugnatione sententiae oppositae, tum positive, quia apparet necessitas et consequenter exsistentia ex quatuor causis.
 β) *Essentia*:
  * ex parte formae: differunt essentialiter et intrinsece ab acquisitis.

  * ex parte materiae vel subiecti: sunt in appetitu sensitivo sicut acquisitae proportionales, sed secundum potentiam obedientialem.
 γ) *Divisio*:
  * quatuor tantum principales: ita videtur sentire Pesch et alii.
  * tot quot acquisitae correspondentes et forte plures.

IV. PROPRIETAS SECUNDUM CAUSAM FORMALEM: MEDIUM VIRTUTIS

A. *Praenotanda*:
 a) Notio *medii*:
  1) venatur inductive ex consideratione diversorum mediorum:
   α) medium praedicamentaliter (univoce) in quantitate:
    * per se:
     ** continua:
      *** medium dicitur relative ad extrema definita quorum est essentialiter participatio.
      *** habet rationem mensurabilis vel mensurati.
      *** ergo dicitur relative ad aliquam regulam mensurantem.
      *** ergo illa regula habet rationem principii regulantis respectu eius.
     ** discreta: in numeris et ponderibus modo proportionali: numerus medius, pondus medium.
    * per accidens:
     ** in motu: medium motus.
     ** in tempore: medium temporis.
   β) medium transcendentaliter (analogice) in aliis generibus entium, v. gr.:

* in actionibus et operationibus.
* in passionibus.
* in qualitatibus.

2) datur: adaequatio (passiva) materiae ad formam, principiati ad principium, regulabilis ad regulam, mensurabilis ad mensuram secundum modum proprium uniuscuiusque.

b) Divisio:

1) medium per se:

α) active (causaliter, effective, exemplariter) seu ex parte mensurantis vel regulantis:

* subiective, psychologice: alia virtus prior et principalis:

** in ordine speculativo:

*** radicaliter: vel res cognita secundum se, vel lumen intellectus agentis.

*** formaliter et proxime: intellectus principiorum.

** in ordine practico: synderesis.

* obiective ontologice: obiectum formale virtutis:

** relative ad primam virtutem: evidentia obiectiva immediata.

** relative ad alias posteriores: evidentia obiectiva mediata et participata a prima.

β) passive seu ex parte mensurati vel regulati:

* ex parte habitus vel ipsius essentiae virtutis (formaliter).

* ex parte obiecti vel materiae virtutis (materialiter):

** absolutum, arithmeticum, medium rei (aequalitas).

** relativum ad subiectum, geometricum: medium rationis (proportionalitas, aequalitas proportionalis).

2) medium per accidens:

α) ex parte obiecti secundarii seu pure materialis.

β) ex parte subiecti agentis, quod habet etiam rationem materiae.

B. *Solutio*:

a) circa virtutes morales:

1) naturales vel acquisitas: medium per se, hoc est:

α) in iustitia medium rei et rationis simul ex parte materiae tantum (materialiter).

β) in aliis tribus praeter prudentiam, licet ipsa aliquantulum etiam, medium formaliter et materialiter, sed rationis tantum.

2) supernaturales vel infusas: modo proportionali seu analogico, quia erit medium supernaturale, utpote a regula supernaturali.

b) circa virtutes intellectuales: medium per se ex parte actus et propositionum:

1) speculativas: medium absolutum et rei.

2) practicas:

α) ut intellectuales: medium rei, passive ad rem.

β) ut activae: plus quam medium, utpote ipsa regula vel mensura activa.

c) circa virtutes theologicas: medium per accidens:

1) ex parte obiecti secundarii vel materialis, quia est mensurabile vel regulabile ab obiecto primario et formali.

2) ex parte subiecti seu actus eius, quia est regulabilis vel mensurabilis a prudentia infusa.

V. PROPRIETAS SECUNDUM CAUSAM EFFICIENTEM: CONNEXIO VIRTUTUM:

A. *Praenotanda*:

a) Explicatio terminorum:

5) circa subiectum, hoc est, *virtutes*: virtus enim potest esse:

α) imperfecta:

* essentialiter, aut ratione sui, quia non attingit veram rationem virtutis seu habitus; et est dispositio, sive naturalis sive acquisita.

* accidentaliter aut ratione status: quando adest habitus, sed cum difficultatibus extrinsecis, sive positivis ex assuetudine vel natura, sive privativis ex defectu exercitii.

β) perfecta:

* essentialiter: adsunt habitus et dispositiones modo convenienti et connaturali.

* accidentaliter: modo optimo, hoc est, habitus et dispositiones modo heroico.

2) circa praedicatum, hoc est, *connexionem*:

α) quid sit: mutua dependentia unius virtutis ab alia, ita ut una sine alia exsistere non possit in eodem subiecto.

β) quotuplex:

* essentialis seu quantum ad perfectionem essentialem:

** immediata: una cum altera.

** mediata: duae cum una tertia.

* accidentalis seu quantum ad perfectionem accidentalem:

** eiusdem lineae vel ordinis.

** diversae lineae vel ordinis.

b) Positio quaestionis:

1) circa virtutes morales:

α) naturales vel acquisitas:

* absolute vel inter se.

* relative ad alias alterius ordinis; vel ergo:

** naturalis, nempe ad intellectuales, sive speculativas sive practicas.

** supernaturalis, scilicet theologicas.

β) supernaturales vel infusas:

* absolute vel inter se.

* relative ad alias:

** ordinis naturalis, sive morales sive intellectuales.

** ordinis supernaturalis, nempe theologicas.

2) circa virtutes intellectuales:

α) ordinis naturalis:

* absolute vel inter se.

* relative ad alias:

** ordinis naturalis, hoc est ad morales acquisitas.

** ordinis supernaturalis, sive morales infusas sive theologales.

β) ordinis supernaturalis, hoc est Sacra Theologia:

* cum virtutibus naturalibus, sive moralibus sive intellectualibus.

* cum virtutibus supernaturalibus, hoc est moralibus infusis et theologalibus, fide, spe, caritate.

3) circa virtutes theologicas:

α) absolute vel inter se.

β) relative ad alias virtutes:

* ordinis naturalis, sive morales sive intellectuales.

* ordinis supernaturalis, hoc est:

** morales infusas.

** speculativam, hoc est, Sacram theologiam.

B. *Solutio*:

a) Quood morales naturales acquisitas facile apparet connexio mediata, mediante scilicet prudentia.

b) Quoad virtutes intellectuales multa sunt distinguenda, ideoque caute procedendum est in responsione.

c) Quoad virtutes theologicas bene notandae sunt definitiones et declarationes Ecclesiae.

VI. PROPRIETAS SECUNDUM CAUSAM MATERIALEM: AEQUALITAS VIRTUTUM

A. *Praenotanda*:

a) Explicatio terminorum:
 1) subiectum, hoc est, *virtus*:
  α) in universali:
   * in genere generalissimo ut est habitus bonus.
   * in genere subalterno, hoc est:
    ** virtutes morales, sive naturales sive infusae.
    ** virtutes intellectuales.
    ** virtutes theologicae.
   * in specie intra unumquodque genus.
  β) in particulari vel in individuo intra eamdem speciem:
   * in eodem subiecto secundum diversa tempora.
   * in diverso subiecto secundum idem tempus.
 2) praedicatum, hoc est *aequalitas*:
  α) quid sit: unitas in quantitate seu medium inter maius et minus.
  β) quotuplex:
   * essentialis:
    ** psychologica.

    ** moralis, sive absoluta secundum quantitatem arithmeticam, sive relativa seu proportionalis secundum quantitatem geometricam.
   * accidentalis:
    ** extensiva seu ex parte obiecti materialis.
    ** intensiva seu ex parte radicationis in subiecto.

b) Positio quaestionis:
 1) utrum virtus ut sic suscipiat magis et minus.
 2) quodnam genus sit altero perfectius, vel an omnia genera virtutum sint aequalia.
 3) intra idem genus, an una virtus sit alia perfectior et quaenam sit illa.
 4) intra eamdem speciem, utrum dentur gradus vel aequalitas.

B. *Solutio*:

a) Virtus ut sic suscipit magis et minus intensive et extensive extrinsece.

b) Genera virtutum sunt inaequalia, sed diversimode.

c) Intra idem genus una virtus est alia perfectior, sed in moralibus datur aequalitas proportionalis formaliter, licet non materialiter.

d) Intra eamdem speciem distinguendum est secundum diversa genera virtutum, quorum diversitas salvatur etiam in individuo.

VII. PROPRIETAS SECUNDUM CAUSAM FINALEM: DURATIO VIRTUTUM

A. *Praenotanda*:

a) Explicatio terminorum:
 1) subiectum, hoc est *virtutes*:
  α) morales, sive acquisitae sive infusae, vel quoad materiale vel quoad formale.

β) intellectuales, sive quantum ad materiale sive quantum ad formale.
γ) theologicae, quoad fidem et spem, sive ex parte actus sive ex parte habitus, et quoad caritatem.

2) praedicatum: *duratio*:

α) ratione status coniunctionis cum corpore, sive in via sive in termino, vel status separationis.
β) ratione loci: sive in coelo, sive in inferno, sive in purgatorio, sive in lumbo Patrum.

b) Positio quaestionis: secundum membra distinctionis posita.

B. *Solutio*. Facile datur iuxta dicta in tractatu de habitibus et exposita in q. 67 Divi Thomae.

INDICES (*)

	Pág.
Index rerum syntheticus	VII
I. Index onomasticus	317
II. Index biblicus	321
III. Index thomisticus	323
IV. Index rerum analyticus	331

(*) Indicantur paginae. Littera *n* notam designat in calce paginae adiectam, numerus autem latinus praevius, I vel II, primum vel secundum volumen huius operis.

I. INDEX ONOMASTICUS

Abaelardus, II 260, 286-289.
Abentomlus de Alcira, II 259.
Abraham de Balmes, II 259n.
Abusalt de Denia, II 258.
Academici, II 285.
Aegidius Colonna (=Romanus) I 63, 53.
Aguirre, Josephus Sanz de, I 362, 363.
Albertus Magnus (S.), I 6, 32, 41, 42, 44, 48, 53, 54, 62, 73, 83, 152, 155, 195n, II 37, 250n, 256n, 260, 261, 265n, 286, 288, 289.
Alcherus Claraevallensis, I 155; II 286-289.
Alcuinus, I 155; II 286-289.
Alexander Aphrodisiacus, I 6, 73.
Alexander Halensis, I 152; II 286-289.
Alexander VII, I 394; II 185.
Amauriani, II 174.
Ambrosius (S.), II 284, 285.
Ammonius, I 6, 31, 33, 35, 47, 48, 51, 62n, 67, 73; II 257, 258.
Amort, Eusebius, I 396.
Anaxagoras, I, 280.
Anselmus (S.), II 287.
Aristoteles, I 6, 22 28, 30-33, 38, 44-46, 48, 49, 52-55, 57, 59, 60, 62, 64, 65, 67, 69, 70-73, 75, 78, 79, 83, 85-90, 92, 93, 97, 99, 100-102, 113, 116, 132, 143, 181, 182, 190, 242, 254, 281, 297, 299, 384; II 4, 6, 10, 18, 23, 36, 80, 104, 122, 139, 163, 246, 247, 256, 257, 259, 260, 263, 268, 269, 271, 273, 283-285.
Arnau, Nicolaus, I 230.
Arriaga, Rudericus, I 230.
Asin Palacios - Michael, II 259n.
Asuero, Dr., I 379.
Augustinus Niphus, I 73; II 269.
Augustinus (S.), I 14, 20, 22, 27, 89, 97, 115, 116, 153-155, 266, 270; II 283-285.
Aversa, I 228.
Averroes, I 20, 97, 116, 176, 180-183, 195, 204, 281; II 258.
Avicebron, I 205, 207.
Avicenna, I 156, 181-183, 228, 243, 245, 249-252, 261, 280, 281.
Azor, I 407.

Bain, II 251.
Baius, II 182.
Bañez, Dominicus, I 84n, 165n, 210, 213n, 228, 229, 231, 253n, 267n, 268, 282, 284, 316, 342, 396, 398, 407, 412, 413; II 87, 98, 99n, 121n, 138, 151, 201.
Barbado, Emmanuel, II 250n.
Barre, L., I 414n.
Beda (S.), I 155; II 284.
Begardi et Beguinae, I, 163; II 103, 174.
Benedictus XII, I 264.
Beraza, Blasius, I 407, 411. 417.
Bernardus (S.), I 155.

Billot, Ludovicus, I 407, 410 411, 417.
Billuart, I 6.
Boetius, Manlius Severinus, I, 6, 62, 73, 83, 155; II 259, 260, 265n.
Bonaventura (S.), I, 63, 153, 155, 156, 205, 389; II 37, 261, 286, 288, 289.
Breviarium Romanum, II 29.
Buridanus, I 73, 287.
Burleus, I 73.

Caietanus I 9, 12, 13, 16n, 73, 81n, 77-79, 97, 107, 109n, 100n, 140, 175, 198, 220-231, 238, 267n, 285, 291, 314, 342, 385, 386; II 58n, 89, 99n, 121n, 123, 124, 138, 145, 150n, 152n, 209n, 265, 266.
Calvinisti, II 274.
Cano, Melchior, I 392, 396.
Capreolus, Joaonnes, I 97, 110, 230, 283, 407, 414.
Cartesius, I 137.
Cassiodorus, I 155.
Catechismus Romanus, I 391.
Cesaitis, II 250.
Chevalier, I 7.
Cicero, Tullius, I 22,n, 90n, 116, 166, 167, 325; II 108, 284, 285.
Clemens XI, II 174, 183.
Codex I. C., II 30, 175.
Coelestinus I (S.), I 388.
Colle, G. I 74; II 270.
Compton, S, J., I 230.
Comte, A., I 137.
Concilium Arausicanum II, I 388; II 175.
Concilium Moguntinum, I 391.
Concilium Tridentinum, I 387, 390, 394-396; II 27-29, 31, 71, 97, 98, 104, 174-177, 185.
Concilium Vaticanum I, I 388, 395, 402.
Concilium Viennense, I 264, 389, 394; II 28, 104, 174, 175.
Conincq, I 417.
Coninbricenses, I 287, 347.

Delacroix, I 151.
Didot, I 89.
Dionysius Carthusianus, II 192.
Dionysius-Ps., I 203.
Donat, I 230.
Dumas, I 151.
Dumont. L., I 137, 138.
Durandus de S. Porciano, I 6, 63, 97, 106, 110n, 282, 283, 216, 336, 366, 367; II 263, 264.

Eustrathius, I 73.

Ferrariensis, Franciscus de Silvestris, I 16n, 190, 192, 228, 229, 238, 286, 298, 299.
Fisacre, II 286-288.
Fröbes, I 169n, 222, 224, 226, 359.
Fouilléé, II 251.

Gabriel Biel I 114, 115, 152.
Gardeil, A., I 230, 323n.
Graff, Thomas, I IX.
Guilielmus Alvernus, II, 260, 286-289.
Guilielmus Autissiodorensis, II 192, 288.
Guilielmus de Melitona, II, 286, 287.
Guilielmus Occam, I 152.
Guilielmus Parisiensis, II 288, 289.
Gillet, M. S., I 79.
Glossa Ordinaria, II 287.
Godofridus, Pictaviensis, II 286-288.
Gonzalez-Palencia, A., II 258n.
Granado, Jacobus, I 412.

Habitgarus, II 286.
Henricus Gandavensis, I 152.
Hervaeus de Nédellec, I 6.
Hieronymus (S.), I 16, 21, 73, 493; II 174.
Hugo a Sto. Charo, II 286-288.
Hugo a Sto. Victore, I 155; II 286, 287, 288.
Hurtadus, Petrus, I 230, 407, 407.

Innocentius III, I, 388; II 175.
Innocentius V (Petrus de Tarantasia), II 37.
Innocentius XI, I 395; II 174.
Isaac de Stella, I, 155; II 286, 287, 289.
Isidorus (S.), I 155; II 285.

Jamblicus, I 33.
Jandunus, I 73.
Javelli, Chrysostomus, I 73.
Joannes Bta. Rosario, I 35n.
Joannes a Rupella, II 287-289.
Joannes a Sto. Thoma, I, 7, 65, 68, 76, 77, 87, 88, 90, 101-105, 170, 171, 175, 228, 287, 342, 348, 407, 414n, 426, 427; II 49, 53, 59, 138, 265n, 267, 271.
Joannes Damascenus (S.), I 155.
Joannes Peckam, I 152, 155, 156.
Jovinianus, II 171.

Kilwardby, Robertus, II 286-288.
Koch, J., I 6.
Koellin, Conradus, I 7; II 15, 58n, 163, 195, 196, 207, 265n.

Lagrange, Dr., I 173.
Le Dantec, I 139.
Leibniz, I 139.
Leo XIII, I 387, 388; II 29, 30, 173.
Lépicier, A., I 7, 13, 114n; II 196.
Lossada, S. J., I 222.
Lottin, O., I 304.
Ludovicus Vallisoletanus, I 74; II 269.
Lugo, Card. I, 222, 407, 410, 411.

Magister Hermannus, II 286, 287.
Maine de Birán, I 139.
Malapert, II 251.
Mandonnet, P., I 29, 63, 65.
Mansion, A., II 270.
Maritain, J., II 278n.
Marsilius de Ighen I, 73.
Martinez, Gregorius, I 282.
Martinez de Prado, Joannes, II 265n.
Mas, Didacus, I 60; 231, 284n.
Maurus, Silvester, II 270.
Maximus I, 212, 203.
Mazzella, card., I 407, 414n.
Mayr, Joannes, I 223, 223.
Medina, Bartholomaeus, I 7, 13, 110n, 115, 153n, 161, 162, 171, 198n, 210, 228, 386, 393, 394, 396, 412, 414, 415; II 59n, 207.
Melanchton, I 392.
Moerbeck, Guilielmus, I 74; II 270.
Molina, Ludovicus, I 407, 409, 411.
Morinum, I 396.

Neoplatonici, II 283-285.
Nominales, II 37.

Odo Rigaldus, II 286, 288, 289.
Olieu, Joannes Petrus de, I 389.
Oskar Renk, I 304.

Paschasius Radbertus, II 289.
Pégues, Thomas, I 7; II 196, 197.
Pérez, B., II 251.
Peripatetici, II 283, 285.
Pesch. T., I 400.
Petrus Aureolus, I 97, 106.
Petrus Bergomensis, I 230, 416, 417.
Petrus Hispanus, I 36.
Petrus Lombardus, II 18.
Philo, II 283, 284.
Philopponus, I 73.
Philippus Cancellarius, II 286-289.
Pius V (S.), II 182.
Plato, I 32; II 283-285.
Platonici, II 283, 284.
Plutarchus, II 283.
Porphyrius, I 6, 61, 73; II 256, 257.
Possidenius, II 284.
Prado, Norbertus del, I 407, 414, 415.
Ptolomaeus, Joannes Bta., I, 222, 223.

Quesnel, II 185.
Quietistae, II 174.
Quiros, S. J., I 230.

Radulphus Ardens, II 286, 289.
Ramirez, J. M., I VII, 1, 31.
Ravaison, I 7, 139.
Rhabanus Maurus, II 286-289.
Richardus a Leicester, II 286, 289.
Richardus a Sto. Victore, II 286, 288.
Ripalda, I 407, 410, 412.
Robertus Bellarminus (S.), I 391.
Rodriguez, Victorinus, I IX.
Roland Gosselin, I 114, 115, 172.
Rolandus Cremonensis, II 288, 289.

Rolfes, E., I 75; II 270.
Rubio, I 287.
Salmanticenses, I 228, 394, 396, 207, 414n, 427, 428; II 158n.
Sanseverinus, Caietanus, I 164n.
Satolli, Card. I 7, 13.
Schiffini, I 410.
Scotus, Joannes Duns, I 32, 36n, 37, 48n, 51, 63, 68, 73, 97, 152; II 37, 263, 265n.
Seneca, I 16, 366, 419, 436, 452, 472, 477, 478, 482-486, 488, 489, 501, 502; II 284.
Serra, Marcus, I 7, 285, 314, 396.
Simplicius, I 6, 29, 30, 32, 33, 37, 39, 45-48, 51, 52, 61, 73, 203, 204; II 18, 257, 260.
Socrates, II 283, 295.
Soncinas, Paulus, I 73, 230.
Sortais, I 152n.
Soto, Dominicus, I 67, 68, 87, 90n, 210, 283, 392, 396.
Stephanus Langton, II 286-289.
Stoici, II 58, 59, 283-285.
Suarez, Franciscus, I 7, 32, 37, 39, 41, 44, 45, 48, 49-55, 68, 71, 91, 98, 105, 114, 228, 347, 391, 407, 414, 510; II 61, 263, 264.

Themistius, I 73.
Theophrates, I 73.
Théry, Gabriel, I 156n.
Toletus, Franciscus, I 73, 228; II 269, 270.

Udalricus de Argentina, II 288, 289.
Urraburu, I 51-54.

Val, Honoratus del, I, 407, 407.
Valencia, Gregorius, I 40, 283.
Vazquez, Gabriel, I, 7, 68, 69, 91, 153, 164, 172, 174, 228, 283, 287, 347, 396, 407; II 264n.
Vega, Andreas, I 391.
Versor Parisiensis, I 36, 37, 48.
Vitoria, Franciscus de, I 210, 407, 413.
Victorinus, I, 155.

Woestyne, Van de, I 36n, 48.
Wusd, I 173.

Zenon, I 15.
Zimara, I 73.

II. INDEX BIBLICUS

Genesis
1, 3 .... I 272

III Regnum
3, 11-13 .... I 400
4, 29-34 .... I 400

Job
25, 3 .... I 213
31, 18 .... I 317

Liber Psalmorum
4, 67 .... I 292, 294
57, 4 .... I 317
83, 8 .... II 28, 104
135, 4 .... I 401

Sapientia
12, 10-11 .... I 317

Ecclesiasticus
18, 22 .... II 29, 104

Proverbiorum
22, 6 .... II 250
26, 6 .... I 372

Isaias
63, 14 .... I 267

Jeremias
1, 13 .... I 267

Daniel
5, 17 .... I 266

Matthaeus
8, 1-4, 7, 5-13 .... I 400
I 399
9, 20-22 .... I 399
12, 9-13 .... I 399
14, 15

Marcus
I 399
1, 29-31 .... I 400
2, 1-12 .... I 422
3, 22

Lucas
I 404
4, 31 .... I 400
5, 18-26 .... I 400
7, 2-10 .... I 422
7, 47 .... I 399
14, 1-6 .... II 29
17, 5 .... I 267, 400
24, 45

Joannes .... I 400
4, 46 .... I 400
5, 1-9 .... II 28, 104
15, 15

Acta Aposctolorum .... I 400
2, 4-11

Ad Romanos .... II 28, 104
6, 13-19 .... II 29
15, 13

I Ad Corinthios .... I 403
2, 4-13 .... II 176
6, 9ss. .... II 27
12, 11 .... II 184
13, 8, 13

II Ad Corinthios
4, 16 .... II 28, 104
11, 6 .... I 402, 403

Ad Galatas
5, 17 .... I 420

Ad Colossenses
3, 5 .... II 28, 104

Ad Ephesios
2, 19 .... II 28, 104
4, 15 .... II 29

Ad Philippenses
1, 9 .... II 29

I Ad Timotheum
1, 19 .... II 184
4, 1 .... II 184

II Ad Timotheum
2, 16 .... II 184
4, 2-5 .... I 360

Epis. Jacobi
2, 24 .... II 29, 104

I Petri
1, 4 .... I 145

Apocalipsis
22, 11 .... II 29, 104

III. INDEX THOMISTICUS

COMMENTARIA IN SCRTPTURAM SACRAM

In Psalmos
Ps. 4, 67 .... I 293

In I ad Corinthios
Cap. 13, lect. 3 .... I 246

COMMENTARIA IN ARISTOTELEM
IN LIBROS POSTERIORUM ANALYTICORUM

In librum I
Lect. 1, n. 1 .... I 259
— 19, nn. 2, 4 .... I 309
— 20, n. 2 .... II 122
— 20, n. 3 .... I 309
